



**D. Ioannes Evangelista. Rodolphi Gwaltheri Tigurini in
Euangelium Iesu Christi secundum Ioannem Homiliae
CLXXX.**

Gwalther, Rudolf

[S.l.], 1568

VD16 W 1038

4. Ad puteum cupido Samaritis pectore discit, Quam Christus sancto
prædicatore, fidem. Multi illi credunt: curatur regius infans, Limina qui
mortis iam subiturus erat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71827)

veniet, sed transiit (id est certissime transibit) à morte in vitam. Quò & illud pertinet: Qui sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Ioan. 8. Alterum membrum est: Qui nõ credit filio, non videbit vitam, id est, ne minimo quidem vitæ & salutis gustu fruatur. Quomodo enim vitam videat, qui ipse volens ab ea discedit, dum eius authorẽ vnicum aspernatur? At quia hoc non multum mouet impios, qui hoc argumento se potissimum consolantur, quòd mortem vltimã lineam rerum esse, neq. post hanc aliquid sperandum esse dicunt, alterum adhuc addit: Sed ira Dei manet super eum. Esi ergo vitam beatam non assequantur Christi contemptores, ijdem tamen non æterna morte sepeliuntur, quæ omnem boni & mali sensum auferat, sed ipsi quoq. ad iudicium resurgunt, vt Dei iram sentiant, quam sua impietate prouocarunt. Nec temere dicit: Ira Dei manet, nõ veniet. Natura enim filij iræ nascimur, & sumus. Ab hac autem solus Christus liberat. Eadem ergo maneat super omnes eos oportet, qui hunc amplecti nolunt. Simul ergo & iustum Dei iudicium, quo improbi gratiæ exhibitæ contemptores damnantur, & nunquam finiendos inferorum cruciatibus Ioannes hoc membro cõprehendit. Cõsulantur autẽ his verbis omnes alia sectæ, quæ extra Christum salutem monstrant. Si enim ira Dei super omnes manet, qui illi non credunt, æternum pereant oportet Iudei omnes, Turcæ omnes, hypocritæ omnes, quot quot in suo illo Christi contemptu in finem vsque perseverant. Nec mihi aliquis obijciat, multos ex illis vitæ & morum innocentia excellere, quos eadem sententia damnare durum sit. Quales quales enim sunt homines, ex semetipsis filij iræ sunt, à qua non vlla alia ratione, quàm fide in Christum liberamur. Et cum opera Legis à Deo tradita neminem iustificare & seruare possint, quanto minus hoc ijs tribui debet, quæ ex suo placito homines faciunt? Obseruemus ergo diligenter scopum Ioannis, ad quem ille totum hoc Iesu Christi præconium dirigit. Esi is vnicus sponsus ecclesiæ, de celo venit & supra omnes eminet, à Deo missus Dei verba loquitur, plenitudine spiritus præ alijs donatus est, filius deniq. Dei est dilectus, qui omnem potestatem habet in celo & in terra. Huic ergo coniungamur in fide sincera, hunc religiosè obseruemus & colamus, hunc audiamus, ab hoc petamus omnia, & eidem subijciamur per fidei obedientiam, credamus denique in illius nomen, & vitam in illo æternam habebimus. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.

CAPVT IIII.

HOMILIA XXV.

VT ergo cognouit Dominus audisse pharisæos, quòd ipse plures discipulos faceret & baptizaret, quàm Ioannes. (Quamquã Iesus ipse non baptizabat, sed discipuli eius.) Reliquit Iudæam, & abiit rursus in Galilæam. Oportebat autem eum transire per Samariam, Venit ergo in urbem Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædium, quod dedit Iacob Iosepho filio suo. Erat autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere ita sedit ad fontem: hora enim erat quasi sexta.

OMNES quidem ad se vocat Christus, at pios quoq. & electos, quò minus ad illum accedant, interdum peccatorum & propriæ indignitatis conscientia absterret. Huic igitur malo remedium præsens adhiberi oportuit, quòd reipsa facit, dum absq. personarum respectu quosuis ad se venientes recipit. Pertinet eò Nicodemi historia, quem ex hostium grege noctu mentem humanissimè instruit. At quia dignitati illius aliquid dedisse videri poterat, sequuntur hoc Cap. duo alia exempla, quæ omnem dissidentia scrupulum ex animis nostris possunt eximere: alterum Samaritanæ mulieris, quam, etsi à reipublica Israelis aliena, & insuper prostituti pudoris esset, tamen non minori studio & humanitate docuit, & eiusdem ministerio in multis alijs conuertendis est vsus: alterum aulici cuiusdam ex Herodis familia, cuius filium iam morti vicinum vitæ restituit, quàmuis ille fidei suæ infirmitatem indicijs aliquot euidētissimis declararet. Conti-

nent historie illa omnia quæ in fidei & salutis nostræ causâ nos instituere possunt, & simul consolationem exhibent dulcissimam: quare digna sunt, quas diligentia singulari consideremus. In presenti prioris historia occasio premititur, cuius partes singulas ex ordine videbimus.

Christi ex Iudea discessus.

Primum in his locum obtinet Iesu Christi discessus ex Iudea, & in Galileam reditus. Causa huius fuit, quod Phariseos sibi insidiari intellexit. Audierant enim illi, quod Iesus plures faceret discipulos & baptizaret, quàm Ioannes: id quod illis auditu molestissimum, & illorû iudicio facinus fuit intolerabile. Ita enim ecclesiam suam scindi, & suam existimationem vna cum quæstus suo imminui videbant. Nam credibile est rariora cepisse sacrificia fieri, cum multi audissent Christum esse agnum Dei, qui mundi peccata expiet. Adhuc per fidei doctrinam inanis illa operum & propria iustitiæ fiducia evertatur. Et qui Ioannem aliquo modo ferre poterant, eò quod sacerdotis filius esset, & vitæ austeritate singulari cõmendaretur, Christum tamen ferre non possunt, qui cum fabri filius putaretur, doctrina & miraculis novos quoridie discipulos atraheret. Conspirant ergo aduersus illum, & insidias eum excipere conantur: quas cum ille non ignoraret, relicta Iudea in Galileam redire parat, ubi minori cum periculo viuere poterat.

Christus docuit & baptizauit.

Observabis autem diligenter, quid de Christi ministerio dicatur: Nimirum quod discipulos fecerit & baptizauerit. Docuit ergo, & quos docuerat baptismo sibi consecrauit, & externo symbolo à reliquis separatos in sue ecclesiæ consortium ascripsit. Sunt hæc vera exercitia ecclesiæ, quæ in illa perpetuò conservari debere nuper diximus: ut nimirum in vera Dei & salutis sui Christum parte cognitione homines instituantur, & ijdem legitimo sacramentorum usu fidem suam publice testentur atque exerceant. Nec tamen Anabaptistis locus hic patrocinatur, qui ubi doctrinâ baptismo præmitti audiunt, mox paruulos ad baptismum admitti debere negant, eò quod illi doctrinæ capaces non sint. Nec enim hæc eadem est ratio adulatorum, qui ab ecclesiâ adhuc alieni sunt, & infantum, qui ex Christianis parentibus in ecclesiâ nascuntur. Imò ex baptismi usu nos contra illos ita arguimus, ut possimus: Baptizari debent, quicumque Christi discipuli & ecclesiæ eius membra censentur. At ecclesiæ membra & cives sunt infantes credentium. Ergo ijdem baptizari debent. De maiori nemo contendit, nisi qui & institutionem & usum baptismi negare audeat. Minorem ex fœderis cum Abrahamo facti capitibus desumpsimus, & eadem Christi auctoritate confirmatur, qui paruulos sibi adducere iubet, & regnum celorû ad eos pertinere testatur. Sed quia de hoc alibi copiose diximus, hæc in presenti sufficiant. Nunc autem considerationem diligentiorum meretur, quod Christus ipse docuisse quidem, sed neminem baptizauisse dicitur. Causam huius rei plerique assignant, quod qui ipsos suos baptizaturus erat, aqua baptismum non debuisset administrare. At ego alias rationes proposui, quæ & grauiores sunt, & magis ad rem faciunt. Primum enim baptismum suum honorem asseri oportuit, ne quis illius virtutem à ministris persona pendere putaret. Nam si quos ipse Christus baptizauisset, videri poterant illi plus quiddam & excellentius accepisse quàm alij, qui à discipulis baptizati fuerunt, aut hodie à ministris ecclesiæ baptizantur. At cum hic Christus baptizauisse dicatur, idem tamè ille neminè suis manibus emxerit, satis apparet, Christi baptismum esse, qui ex eius institutione à ministris in ecclesiâ administratur: et baptismi auctoritatè ex institutione Christi pendere, non ex ministrorû dignitate. Pulchre igitur à D. Augustino dictum est: Baptizabat Iesus, quia ipse mundabat, non baptizabat, quia non ipse tingebat. Præbebant discipuli ministerium corporis, præbebat ille adiutorium maiestatis. At quod de discipulis dicitur, hoc ipsum de omnibus ecclesiæ ministris debet intelligi, quando ne hodie quidè baptismus sine Christi auspicijs & mandato illius administratur. Quod ut multum facit ad fidei confirmationem, ita etiã monet, ne propter ministros sacramenta minoris faciamus, neque propter eosdè ab ecclesijs temere discedamus, et ita schismatû et turbatû simus auctoritate. Deinde ab externa baptismi administratione Christus abstinuisse videtur, ut ostenderet maiore verbi Dei quàm sacramentorum rationem esse habendam: quod ipsum Paulus etiam non obscure docet, quando paucissimos abs se baptizatos esse scribit, et facti sui hanc rationem reddit, quod non ad baptizandum, sed ad euangelizandum sit missus. Et Petrus, cum Cornelio & familiaribus eius verbum salutis ipse prædicauisset, eosdè postea baptizari iussit ab ijs, quos secum adduxerat. Neque ista temere facta sunt, quando res ipsa docet, sacramenta verbo Dei inferiora esse. Primum enim hoc sine illis consistere potest, neque semper sacramenta adiungi necesse est, quoties verbum prædicatur: illa autè sine verbo legiti-

me administrari non possunt. Quia nisi verbum ad elementum accesserit (vt Augustinus monet) sacramentum non erit. Deinde absque sacramentis regenerari & seruari possunt, quos ab eorum vsu necessitas excludit, non contemptus. At sine Dei verbo nihil horum potest fieri. Adhuc non eadem semper sacramenta in vsu fuerunt, & olim paucissima habuerunt patres, quorum numerus postea in lauge auctus fuit, in nouo autem testamento omnibus illis abolitis duo sola in eorum locum successerunt. Vnum verò & idem Dei verbum omnibus seculis predicatum est, quo mundi redemptor vnicus, Iesus Christus, annunciat. Denig vt veteres sine baptismo & Cæna seruati sunt: ita nos sine Circumcisione & sacrificijs seruamur. Nemo tamen ideò Sacramenta vel contempnat vel negligat: illis autem vtamur religiose, & in Dei verbum intenti animos in Christum dirigamus, cuius beneficia verbo predicantur, & Sacramentis obsequantur. Hæc si hodie omnes obseruarent, minus contentio num esset in ecclesia, nec propter diuersas de externis Symbolis sententias temere eos damnaremus, qui eundem Christum verè & orthodoxè nobiscum predicant.

Porro videamus quid factum sit, Christo in Iudæa docente & baptizante. Resciscunt hæc pharisæi, & insidias vitæ eius struunt. Non autem ipsi coram Christo vident & audiunt: vt eius doctrinam & baptismum cognoscant: sed suos habent emissarios atque coryceos, ex quibus quid fieret audierunt. Est enim hoc proprium hostibus veritatis, quòd cum ipsi huius doctrinam audire, vel cum eius ministris colloqui nolunt, habent tamen otiosas & ignauas ventris mancipia & astutos aliquot simulatores, qui et cõtionibus sacris intersunt, & priuata quoque piorum colloquia obseruat, & ad illos mox referunt, quæ ipsorum existimationi detrahere videntur. Nec tamen sinceriter & bona fide agunt isti homines, sed malitiose omnia narrat, dum verba detorqueat & mutant, hocq; vñ querunt vt heris suis gratificentur, quibus seruire & adulari semel in animum induxerunt. Rursus aut pharisæi nominantur, penes quos tunc temporis erat summa in religione potestas, in quam illos Alexandria Hircani mater primum euexerat, & quam ab eo tempore propter præclaram sanctitatis existimationem apud multos confirmarant. Nec poterunt illi patienter ferre Christi doctrinam, quæ ipsorum auctoritati vehementer derogabat. Non miremur ergo, si hodie nobis insensiti sint, qui horum sunt similes. Cauemus autem insidias eorum, quibus multum possunt, neq; dubitemus illos passim habere aures & oculos, quibus nos obseruant, & veritatis opprimendæ occasiones querunt.

Pharisæi Christo insidiantur.

Admonet nos de hoc Christi exemplum, de quo duo dicuntur. Primum, quòd illorum insidias & consilia cognouerit, nec tamen aliquis nominatur, qui hæc ad illu detulerit. Ergo propria & diuina virtute hoc bene intellexit, neq; opus habuit vt ex aliorum relatione disceret, qui Deus est, & cuius oculi per omnem terram discurrunt (vt Zachariæ verbis vtar) imò corda & renes scrutantur. Est hinc generalis doctrina petenda, quæ plurimum consolationis afferre potest, si quando hostium conspirationes & consilia proditoria audimus. Videt illa ex alto Dominus, sicuti Psalm. 2. dicitur: nec videt modo, verum etiam in promptu habet vindictam, quæ illorum audaciã vlciscitur. Exempla sunt passim in historijs, & multa nostro seculo vidimus, in quibus hostium suorum consilia Deus vel præter omnem expectationem detexit, vel per ludibrium & magno illorum malo dissipauit. Debent ea nobis in mente versari semper, ne vllis minis succumbamus, aut de veritatis defensione desperemus. Alterum in hoc Christi factu est, quòd relicta Iudæa in Galileam redire instituit. Atqui in Iudæa quoque latere poterat, vel diuina virtute hostium conatus frangere, vel etiam subito mutatis omnium animis in publico tutus agere, quod non semel factum fuit. Sed fuga sibi consulere voluit, ne miraculose seipsum occultando, aut per hostes medios sepius transeundo, corporis sui veritatem in dubium vocaret. Deinde vt homo agit omnia, vt suo exemplo doceat, quid nobis factu opus sit, si quid simile accidat. Nam neque hostibus suis alicuius sceleris occasionem præbere voluit, neque ante tempus se & vitam suam temere periculo objicere. Imitemur nos exemplum hoc, & in uocatione quidem nostra strenuè pergamus, vt amur autem prudentia, ne vel alijs sine causa grauioris in nos peccati occasionem demus, vel nos ipsos in pericula non necessaria adducendo Deum tentemus. Admonet de hoc ipse Dominus, quando iubet vt nobis caueamus ab hominibus, & ex vna ciuitate in aliam fugiamus, si quando persecutiones grauiores oriuntur. Hæc tamen prudentia & consilio opus est, ne dum nobis ipsis consulimus, eos quodammodo prodamus, quos nostræ fidei Deus commisit, aut etiam communem religionis causam in periculum adducamus. Nam vt suggero

Christus insidias cognouit & declinat.

licet, quando nulla restat officij faciendi occasio, & absq; infirmorum scandalo fuga suscipi potest: Ita stationem suam sine scelere deserere non possunt, quibus adhuc licet officio suo fungi, & qui fuga sua alijs de fidei doctrina dubitandi, aut fidem abnegandi occasionem præbent. Facile verò errorem omnem cauebunt, qui recto oculo in suam vocationem respiciunt, & hunc actionum suarum omnium finem sibi propositum habent, ut Dei gloriam prouehant, & multorum saluti consulant. Fuit præterea hic Christi discessus prælium repudiij Iudæorum & vocationis gentium: quo admonemur, quid omnes eos maneat, qui ut suo honori & quasi consulant, Christum & Euangelium eius absese repellunt. Discedit ipse à talibus, & secum aufert ab illis omnem benedictionem et gratiam Dei: in cuius locum subeunt mox omnis generis calamitates, quas ira Dei afferre solet. Quod enim Iudæis accidit postquam regnum suum ab illis abstulit Deus, hoc multis alijs accidisse constat, quorum infelicem conditionem historiae proponunt. Excitent ergo nos exempla ista ad fidei constantiam, ut Deo grati simus pro redemptionis beneficio, quod nobis in Christo exhibuit.

Cur Samaritanam trāserit Christus.

Interferit autem huic narrationi Ioannes: Oportebat autē eum transire per Samaritaniam. Cuius particula hic vsus est, ne Christum temere ad gentes diuersisse putemus priusquam tempus illud à prophetis olim prædictum aduenisset, cum discipulis inter dixerit, ne in viam gentium abiret, aut in aliquam Samaritanorum ciuitatem diuertent. Erant enim veteres inimicitie inter Iudæos et Samaritanos, quos illi ita abominabantur, ut cum Christum conuicio atrocissimo proscindere vellent, Samaritanis qui dixerunt: de qua re in sequenti sermone dicemus. Quamuis autem Christo ex Iudæa in Galileam proficiscenti necessario per Samaritaniam regionem erat transiendum, ex eo tamen rei omnino pulcherrime & saluberrime occasio ipsi obuenit, colloquij nimirum, quo Samaritaniam instruit, et quod multis alijs quoq; fidei & salutis principium fuit. Quod ergo fortuitum & cōtingens (ut philosophi loquuntur) videbatur, singulari prouidentia Deus ad huius negotij usum direxit. Ita frequenter euenit, ut que casu fortuito aut etiā secundū naturā cursum necessario fieri videntur, Deus ad suam gloriam illustrationem regat, & ipsam ad nostram salutem magno cum fructu rotatur. Discamus ergo semper in Dei prouidentiam respicere, que nihil fortuitum fieri patitur, & oblatas nobis bene agendi occasiones ab ipso Deo offerri cogitemus. Sic enim excitabimur ad bene illis utendum, neque eas inutiliter præterlabi patiemur.

Occasio colloquij cum Samaritana.

Porrò videamus occasionē, qua cum muliere Samaritana in colloquium Christus venit, quam hinc verbis Evangelista describit. Venit ergo in urbem, id est, in territorium urbis Samaritanæ, qua dicitur Sichar, iuxta prædium, quod dedit Iacob Iosepho filio suo. Erat autem ibi fons Iacob, Ioseph ergo fatigatus ex itinere ita sedit ad fontem: hora enim erat quasi sexta. Sichar vocat Ioannes, quia à Mose Sichem dicitur. Quia enim eo tempore Syriaca lingua utebantur, locorū quoq; nomina mutata fuerunt. Fuit autē Sichem ad montem Garizim, & Hieronymi tempore Neapolis dicebatur. Erat propè illam prædium, quod Iacob à filijs Hemor emptum, iam moriturus Iosepho filio suo legauit, ut videre est Genes. 33. & 48. Et in eodem fuit fons Iacob, quem nimirum sibi effoderat, cum in locis istis aliquandiu habitaret, donec vitium Dine oblatum & audacissimum illud Simeonis & Leui facinus, qui urbis Sichem habitatores omnes exciderunt, illum inde discendere coegit. Nec temere Ioannes hanc circūstantiam tam diligenter annotauit. Primum enim elucet in ea Dei iudicium, qui terram à sanctis patribus inhabitatam, & illorū memoria celebrem, impuris gentibus tradidit, cum illam Israelitæ suis sceleribus polluisent. Et conuincitur ex exemplis eiusmodi illorum superstitis, qui sanctitatem & Dei gratiam locis quibusdam alligant, neque animaduertunt Dei iudicia, quibus ille ipsorum errores iam olim damnauit. Sic olim sepulchrum Domini à gentibus impijs obrutum, & supra illud Veneris fanum edificatum fuisse legimus. Et hodie à Turcis tenentur loca & urbes, in quibus olim Dei filius & Apostoli docuerunt. Num verò hoc Deum permissorum putamus, si gratiam suam illic alligatam esse, aut cultum suum in illis locis exerceri vellent? Deinde apparet hic fides Dei, qua suorum memoriam seruat & custodit, licet de posteris ipsorum pœnas scelerum exigat. Fuit pius & fidelis Dei cultor Iacob, vixit innocenter, adhuc Dei promissiones fide tam firma & constanti apprehendit, ut in Ægypto moriturus filijs suis agros in terra Chanaan distribueret, etiamsi vix unquam eò redituri viderentur. Dei ergo prouidentia factum est, ut licet posteris eius sedibus auitis eijcerentur, illius tamen memoria inter Samaritanos sancta & honorifica manserit.

Sunt huius generis exempla multa, publica & priuata; in quorū consideratione eos diligenter versari conueniebat, qui patrum virtute gloriantur, & ex ea sibi perpetuam impunitatem pollicentur, cum ipsi interea in gloria & sceleribus infames viuant. Potest patrum honori Deus consulere, licet ipsi male pereant, & fortassis inter hostes maiori in pretio erunt illorum maiores, quam apud ipsos, qui suis sceleribus illorum famam obscurant.

Sed ad historiam reuertamur. Cum sub horam sextam, id est, circa meridiem, quando aestus grauisimus solet esse, ad eum locum Christus venisset, defatigatus ex itinere sic sedit ad fontem: nimirum ut erat defessus, vel prout occasio dabatur, & (ut postea dicitur) discipulos in urbem misit ad emendum cibos. Venit interea mulier Samaritana ad hauriendum aquam, ipse verò inde occasione sumpta, colloquium cum illa instituit. Nunc diligenti obseruatione dignum est, quod de Christo defatigato dicitur. Potest enim hoc absurdum videri, si cogitemus ea, quae paulo ante de illo Iohannes dixit, & quod illius virtute totam hanc mundi machinam creatam esse, scriptura testatur. Sed ut Augustinus ait, non frustra fatigatur Dei virtus, sed tibi fatigatur. Id est, qui Dei virtus & Deus verus est, carnem assumpsit, & in ea propter nos omnes infirmitates nostras sustinuit, adeoque nobis per omnia (vno peccato excepto) similis factus est. Causas huius mysterij scripturae passim exponunt, Paulus imprimis ad Hebraeos cap. 2. & 4. Et primò quidem hoc fieri oportuit, ut fidelis & verus esset Pontifex in expiandis peccatis nostris. Nec enim illa expiari poterant, nisi eorum penas subiret, & sua satisfatione Dei iustitiam placaret. At inter peccati penas numerantur egestas, labor, cura, fames, sitis, morbi, corporis defatigatio, mors denique, quae omnia per peccatum ingressa esse scriptura docet. Cum verò haec omnia in se receperit Christus (qui ut innocens fuit per omnia, ita bis minime opus habuit) satis apparet, haec illum propter nos perpassum esse in peccatorum nostrorum expiationem. In hunc ergo solum intenti, neminem audiamus, qui nobis alibi ea monstrat, quae ad nostram salutem faciunt. Deinde ad fidei nostrae confirmationem hoc facit. Quia enim eandem nobiscum infirmitates Dei filius sustinuit, quis dubitet illum nobis compati posse, & fidelem pro nobis advocatum esse apud patrem in omnibus, quae nobis sunt apud illum agenda? Nouerat quidem iam antea conditionem nostram (ut Psal. 103. habetur) neque illi opus erat, ut quicquam experientia disceret; sed nobis consuli oportuit, qui nos interdum a Deo ignorari, aut illum erga nos equo duriorem & immisericordem esse putamus. Arguitur autem hic illorum error, quod Duos sibi advocatos & mediatores faciunt, eò quod Christum rigidiorum & inexorabilem fingunt. Atqui nemo est, qui plura quam ille passus sit, et quidem pro nobis, aut qui nos melius quam ille norit. Inuitat idem ille ad se omnes qui onerati sunt, & se medicum agrotantium proficitur. Ad alios ergo confugere non possumus, quin atrocem illi inferamus iniuriam. Postremo haec omnia ferendo & paciendò exemplum nobis praebuit, quo humilitatem, obedientiam & patientiam nobis commendat. Non puduit pedes iter facere Dei filium, fatigari, pauperem viuere & egenum. Cur ergo nos non pudeat fastus immodici & superbia, quae aduersus Deum & proximos omnes efferimur? Non piguit illum alicuius laboris & molestiae, dum patri obtemperat. Cur ergo nobis grauis videtur ea facere, quae nostra vocatio requirit? Patienter item ille tulit omnia, licet nec ipse quicquam horum meruisset, neque gratos fore sciret plerisque mortalium, quorum saluti sic consulere voluit. Quae ergo nostra est auaritia & impudentia, qui cum morte aeterna digni sumus, contra Deum tamen improbe murmuramus, de eius rigore conquerimur, ut primum aliquid nobis praeter animi nostri voluntatem accidit? Vel cur hominum ingratitude nos ab officio reuocari patimur, qui nos remuneratorem scimus habere Deum, si in eius praeceptis fideliter ambulemus? Haec ergo cogitemus, quoties egestate circumuenti surimus, aut laboribus immodicis fatigamur, aut curis conficimur, aut in vinculis & carceribus de vita periclitamur: denique in omni afflictione Christi exemplum nobis ob oculos ponamus, & mox videbimus nos nullam habere causam iustam querendi de Dei erga nos voluntate. Solecit praeterea, quod ut haec omnia propter nos sustinuit Dei filius, ita in semetipso fontem aquae viuae aperuit, quae animos laborantes recreat, & ex morte in vitam aeternam reuocat, ut suo loco audiemus. Ipsi debetur benedictio, honor, gloria, & potestas in aeternum. Amen.

Christus defessus sedit ad fontem.

Christus nostras infirmitates suscepit.

Venit mulier Samaritana, ut hauriret aquam. Dicit illi Iesus: Da mihi potum. Nam discipuli eius abierant in urbem, ut cibos emerent. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu, Iudæus cum sis, potum a me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim utitur ludaei Samaritanis. Respondit Iesus, & dixit ei: Si scires donum illud Dei, & quis sit qui dicit tibi, Da mihi potum: tu petisses ab eo, & dedisset tibi aquam uiuam.

Verissime olim à Paulo dictum est: Christus Iesus in mundum venit, ut peccatores salvos faceret. At hic propter inmatam nobis infirmitatem multa institutione opus est, ut Christum ad nos quoque pertinere, & quantumuis non vno scelere pollucimus, nobis tamen ad illum viam & aditum patere intelligamus. De hoc igitur ipse nos non verbis modo & amplissimis promissionibus certos facit, verum etiam exemplis plurimis confirmat, dum quosuis ad se venientes recipit, & plerumque non rogatus salutis doctrinam illis proponit. Inter hæc non postremum est, quod prima huius Capituli parte narratur de muliere Samaritana, quam, etsi multa obflarent, fide vera illi minatam à superstitionibus simul & peccatorum laqueis liberavit. Est hæc historia hæc multis nominibus dignissima, in cuius consideratione diligenter versemur. In presenti primus colloquij istius congressus describitur, qui illius præcipuam propositionem continet, ex qua dependent quæcumque postea dicuntur: Christum videlicet esse fontem gratiæ, qui animas nostras recreet atque secundet, ut ab ira Dei & damnationis terroribus liberata fructus ferant Deo gratos, & æternæ vitæ confortes fiant.

Occasio colloquij inter Christum & Samaritanam.

Præmittitur colloquij occasio, quæ eiusmodi fuit. Iesus (ut nuper diximus) defessus ex itinere sedens ad fontem, & discipulos simul omnes in urbem misit, ut cibos emerent. Vbi apparet, quam illi viuendi ratione secutus sit: non nouam nimirum & insolitam, qualis postea à fraterculus mendicantibus excogitata fuit, quibus religio est, pecuniam contrectare, & qui summam pietatem arbitrantur mendicando victum querere, adeoque ex alieno viuere. Habuit enim Christus pecuniam, quæ ad pijs conferebatur, & ex ea sibi atque discipulis victum parare, non impudenter à quouis obvio illum emendicare solitus fuit. Ceterum illo ad fontem sedente venit mulier Samaritana ad hauriendam aquam. Petit ab ea potum Christus, qui (ut hystoriæ contextus docet) plus iam miseræ illius salutis, quam fontis aquam sitiebat. Et ex illa postulatione colloquium enatum est, quod in sequentibus prolixè describitur.

Salutis initium nobis ex gratia offertur.

Hic verò obseruatu dignissimum est, salutis nostræ initium ferè nobis nihil de ea cogitantibus ex gratia diuinitus offerri. Quis enim de hac cogitasse putet eo tempore Samaritanam istam, mulierem proteram & libidiniosam? Sed dum illa secuta est, de ea seruanda Christus cogitat, & ita rem omnè instituit, ut illi ad salutem cedant, quæ prophanus aliquis fortuito accidisse putaret. Ideo enim ad fontem istum confidet hoc ipso tempore, quando illam eò venturam sciebat: & ita corporis detractione, quam ut homo verus patiebatur, ad illius salutem vitur. Ideo discipulos abs se omnes ablegat, ne vel ipsi nondum satis edocti, colloquio hoc cum alienigena offenderentur, vel illa pudore impudica minus libere & aperte ageret. Ideo prior eam compellat, quæ indigna erat quam in conspectum admitteret. Ad solam ergo Dei gratiam referri debet, quod ista in salutis cognitionem peruenit. At quod de ista dicitur, similiter ad omnes homines pertinet. Vt enim suos ab æterno elegit Deus nullis interuenientibus nostrorum operum meritis: Ita eosdem oberrantes ipse prior quaerit, & omnis gratiæ occasiones illis offert, ut in veram salutis viam perducantur. Sic primos parentes, nudos & commisi sceleris conscientia consternatos, imò fugientes, & latebras quaerentes ipse quaesuit, vocauit & seminis benedicti promissione in spem meliorem erexit. Sic Abrahamum inter idololatrias agentem euocauit, ut cum illo salutis fœdus instauraret. Sic Iacobum in matris utero elegit, ut fœderis sui promissiones in illum transferreret. Nec alia ratione totum Israel ab illo vocatum & adoptatum fuisse, scriptura non vno loco testatur. Vide quæ de hac re habetur, Deut. 7. 8. & 9. Item Ezech. 16.

Faciunt huc quoque priuata exempla apostolorum & omnium aliorum, quos in terris agens Dei filius vocare dignatus est, ut iam de gentium uocatione nihil dicamus, quam gratuitam fuisse tam pristina illarum conditio, quam ipse uocationis modus abunde testatur, quando nihil tale opinantibus spiritu duce superuenerunt apostoli & uiri apostolici, qui illis euangelium predicarent. In seipsis autem non obscura huius gratiae argumeta singulis inueniunt, si cogitent quae prima illis fuerit in salutis cognitionem perueniendi occasio. Et sunt haec diligenter obseruanda, ut certiorē possimus concipere de salute nostra fiduciam, nec eorum delirijs seducamur, qui hanc operū meritis transcribit, & Deum suo honore spoliant.

Deinde hoc quoque obseruandum fuerit, quod tam uili occasione ueritur Christus, quae istam in fide uera instituat. Quis enim ex prima hac Christi postulatione sperasset colloquium, quo tota humana saluti ratio illustraretur? Ceterum ita solet Deus, ut familiarius sese animis nostris insinuet, & ferē ad contemptus & uulgaribus principijs nos in sublimiorē mysteriorum suorum considerationem perducit: ne si illa primo statim congressu proponat, illorum splendore & profunditate territi resiliamus. Quid quod Verbi praedicatio huius seculi sapientibus res leuicula & stulta uideretur? Attamen uisum est Deo (ut Paulus ait) per stultitiam praedicationis saluos facere credentes. Adde his priuata exempla eorū, qui interdum ab hominibus nullius pretij de rebus maximis admoventur, & loquissima occasione excitantur, ut de salute sua cogitare incipiant. Sic gloriosus ille & insignis Syrorum Imperator Naaman per puellulam captiuam monetur, ut Elizeum accedat, cuius ministerio & à lepra mīdatur, & in ueri Dei cognitione instituitur. Possē multa huius generis recensere, sed non opus est exemplis, quando singuli quotidie hoc in seipsis & alijs experimur. Nos horum consideratione excitati, dicamus non contemnere à Deo oblatas bene agendi occasiones, sed illis ad ipsius gloriam & nostram salutem utamur.

Sed reuertamur ad historiam. Samaritana, cum ex uesitu & linguae dialecto Iudaeum esse animaduertens, miratur illum abs se potum petere. Quomodo (inquit) tu, Iudaeus cum sis, potum à me potis, quae sum mulier Samaritana? Et mox causam sui dicti subiicit: Non enim Iudaei ueritur Samaritani. Id est, adeo exosam habetis gentem nostram uos Iudaei, ut nullum nobiscum uelitis habere commercium, adeoq; uos polui putetis, si uel minima in re nostra opera utamini. Quod sic ergo quod tu hoc abs me officium postulas? Exprimuntur hisce uerbis uetus & implacabile odium, quod duabus istis gentibus mutuo intercessit. Causa huius prima fuit, quod Samaritani terram, quae olim Israelitae habitauerant, occuparent iam annis amplius septingentis. Cum enim Salmanazar Samariam cepisset, & decem tribus in Assyriam abduxisset, ne terra fertilissima in solitudine incultam retereret, colonias in eam deduxit ex Babylonijs, Chutaeis, Auenis, Hemathijs & Sepharuaitis, qui omnes ex ueteri uerbis primariae nomine Samaritani dicti fuerunt. At minime gratā fuisse initio statim istorū uiciniā Iudaeis, qui tunc suas sedes adhuc seruabant, non est dubium: cum nō multo post Sennacherib non minori insolentia quam crudelitate pijsimo regi Ezechiae bellū inferret, quae Iudaea tota horribiliter uastata fuit. Auxit inimicitias religionis dissimilitudo. Nam etsi propter leones diuinitus sibi immisso legis Moysae ritus aliquot recepissent, simul tamen sacra gentilitia cum illis miscebant, & solos Moysi libros recipiebant, reliquas uero scripturas omnes aspernabantur. Adhuc graue & intolerabile uidebatur Iudaeis, quod cum ex gentibus originē ducerent, tamen patrum sanctissimorum nomine gloriarentur, & in Dei populo non minus quam ipsi censei uellent. Imo templum postea in monte Garizim saceri Sanaballath auctoritate adiectus aedificat Manasse sacerdos apostata, quod ad fouendum odium & inimicitias plurimum faciebat: eo quod ad illius sacerdotes suas querelas deferrent, qui ab Hierosolymitanis ob uiolatā legem seuerius corripiebantur, de quo Iosephum uide lib. Antiq. 11. cap. 7. & 8. His accedebant uerum, iniurie ueteres. Samaritani enim Iudaeis ex Babylone reuersis obstiterunt, quod minus urbem & templū aedificarent, & apud Persarum reges rebellionis accusarunt. Deinde Antiochi magni & Ptoemaei Euphratis temporibus terram Iudaeae hostiliter populati sunt, & multos ex ea captiuos abduxerunt. E contra Iudaei illatas sibi ab illis iniurias sepius nō absq; seueritate maxima sunt uoliti. Nam anno ante natū Christum centesimo uigesimo tertio Ioannes Hircanus, Iudaeorum dux & Sacerdos, terram illorū occupauit, templum in monte Garizim diruit, & Samariam metropolim, eod quod ab eius imperio dese-

Deus contemptis principijs utitur.

Dissidium inter Iudaeos & Samaritanos.

2. Reg. 17.

cisset, solo equavit, ut vix aliqua apparerent vrbis vestigia. Et quia vocens eras iniuria istius memoria, & (ut inter vicinos fieri consuevit) quotidie nouis iniurijs refricata magis accendebatur, non poterant non se inuicem odisse & persequi. Ad ista ergo respiciens nostra haec Samaritana, responsus eiusmodi Christum excipit, & quasi publicum suae gentis contemptum in illo vlcisci cupiat, non sine esset, & suam conditionem infamiae plenam non ignoraret, tamē homini peregrino & quem aspectus venerabilis cōmendabat, tam amarulenter responderet. Fiunt huius generis multa hodie, quando sacrificulorum concubinae, & ignaua ventris mancipia, episcoporum & Abbatum parasiti, & interdū scorta publica, religionis causam suscipiunt, & aduersus viros multa auctoritate graues scurrilubus dictis contendunt. At non offendi debemus, quando Christum simile quid passum esse audimus.

Quāta uis odij
inueterati.

Obseruabis autem in Iudeorum & Samaritanorum exemplo, quantā sit vis odij & inimicitiarum, ubi vetustate in hominum animis induruerunt. Cum enim haec fierent, veraq; gens libertate amissa duris & auaris Romanorum praesidi imperijs subesse cogebatur, quibus veraq; ex aequo iniusta atq; exosa erat. Debebat ergo communis & publica calamitas nouam inter illos animorū coniunctionem parere. At nihilominus inimicitias veteres fouent, & nouis quotidie iniurijs illas accendunt: & ita quidem, ut nisi Dei gratia immensa oblitisset, hoc ingens salutaris impedimentū vix esse poterat. Exempla similia passim occurrunt, & multos est videre, qui cum hostes habeant eosq; simul communes afflictiones sustineant, non tamen de auxilio mutuo cogitant, sed ipsi sibi notas quotidie molestias accersunt. Quin reperiuntur aliqui vsq; adeo infelices, ut propter odium gentis in ea exorientem veritatis doctrinam reijciant. Discant ergo singuli odij & inimicitiarum principijs obstare, ne incurabiles fiant, quando longa mora inualuerunt. Discant praeterea huius Samaritanæ exemplo mulieres, ne ipse absq; magna & necessaria causa publicas causas suscipiant, quae maturo consilio & publica auctoritate discuti debent. Nisi enim hoc obseruet, huius similes fiunt, & multa proter sexus sui decorū faciunt, cuius est viris modestè obedire, & eosdem placare, non ad irā accendere.

Christus Samaritanæ petulantiae insulsa iustitiam offert.

Quid verò Christus? Habebat ille iam occasionem magnam grauitate cum illa ex postulanda, aut etiā disputanda de vtriusq; gentis origine & dignitate. Sed omisissis alijs omnibus, amice agit, ad salutis causam accedit, in qua ipsam institui oportebat. Quo loco admonemur, Deum non pro nostra dignitate aut meritis eligere quos in salutis cognitione instituat, & ad eius societatem trahat: sed pro sua bona voluntate negotium hoc omne administrat, & frequenter indignissimos quosq; sibi deligit, quod magis eluceat ipsius bonitas. Quid enim habuit Samaritana ista, cuius gratia salutis doctrinam illi potius offerret Christus, quam multis alijs inter Iudeos pietatis zelo & auctoritate praeditis? Idem apparebit, si Paulum inspicias, quem ex hoste crudelissimo repente apostolum fecit, cuius ministerio in multis alijs lucrificandis vteretur. Probe autem responsum suum Christus mulierum ingenio accommodat. Laborant ferè curiositatis vicio, & quæuis arcana rescire cupiunt. Vt ergo admiratione & studium ardentius in illa exciter, ait: Si scires donum Dei, id est, si scires quis ego sim, & quam multa quamq; eximia bona in me infelici mortalium generi contulerit Deus: non ita petulanter mihi insultares, & adeo non rideres meam petitionem, ut potius ipsa à me peteres potum: & ego tibi darem aquam viuam, &c. Habemus in his noui bonitatis Dei argumentum: qui bona sua non modo nobis proponit & amice offert, verumeriam illorum admirationem in nobis accendit, nosq; ut illa ab ipso petamus inuitat, adeoq; impellit. Huc enim pertinet, quod nostram inopiam atq; corruptionem tot modis arguit, ut vel huius sensus nos ad ipsum confugere, & eius misericordiam implorare cogat. Eodē referri debent, quæcumq; de Dei gratia, donis spiritus sancti, & celestis gaudijs & regni illius beata immortalitate in scripturis magnificè predicantur. Sed proba ritatem nostram, qui nec propriae miseriae sensu, nec Dei indulgentissimi liberalitate excitari & accendi possumus.

Christus quis sit

Porro præcipuum in hisce verbis est ipsius Christi descriptio, quæ quis nam sit, & quid in illo nobis datum sit, continet. Primò donum Dei se esse dicit: cuius dicti rationem cap. 3. reddidit, quando Deum ex amore gratuito filium nobis dedisse dixit. Facit hoc ad fidei confirmationem in reuerentationibus. Quæ enim legitime donatur nobis, ipso donationis iure nostra fiunt. Ergo si nobis à patre donatus est Christus, hic vtiq; noster est totus, & ad nos pertinent quæcumq; illius sunt. Cur ergo pet

casorum

causarum conscientia terramur? cur aduersa metuumus? cur morti succumbimus? Quia enim noster est Christus, nostra quocumque est eius iustitia & satisfactio, nostra est eius victoria, nostra est eius resurrectio & vita, & promde in illo seruabimur. Deinde ad huius explicationem facit, quod aquam uitam pollicetur. intelligit enim uisificantem spiritus gratiam, cuius ipse nobis author est. Et frequenter hac Metaphora utuntur prophetae, quocumque de Messia regno differunt. Vitam uero dicit aquam, cum quod ex uiuo fonte manat, ex ipso nimirum Christo, in quo uita est: cum quod perpetuo scaturiens, in nobis perpetuo operatur, nec unquam otiosa quiescit. Per hanc enim uita in nobis instauratur, & per eandem uiribus nouis instrumur, ut in Deo uiuere & fructum ferro possimus. Adhuc autem ad nostrae naturae corruptionem, & quod nos instar terra aride sumus & sterilis, qua rigatione opus habet. Quod prophetae etiam respexisse constat. Apud Isaiam enim sic scribitur: Omnes riuus Iuda manabit aquis, & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit uallem Sittim, &c. Fuit autem uallis Sittim in deserto, ubi cum Moabiticis mulieribus Israelitae scortati sunt, & impii Baalpeor sacris sese polluerunt. Eiusmodi ergo gratiam pollicetur propheta, qua maximis sceleribus eluendis sufficiat, & ab omni bono alienos fecundare possit. Eodem sensu Isa. 43. dicit Dominus: Pone uiam in deserto, & flumina in solitudine. Gloriam meam praedicabunt agrestes bestiae, dracones & pulli struthionum: cum dedero aquas in deserto, & flumina in solitudine, ut potum habeat populus meus, electus meus, &c. Huc ergo respiciens Christus, se huius gratiae auctorem uincum esse inuit, qua sola animas afluas uocare, conscientia terrores discutere, & naturam nostram instaurare potest, ut dignos nostrae uocationis fructus feramus. At quia hoc ipse in sequentibus exponet, ista modo dixisse sufficiat.

Priusquam tamen sermoni huic finem imponamus, hoc etiam obseruasse proderit, quod potum corporis a muliere petens Christus, illi uicissim potum anime pollicetur, imo liberalissime propinat. Sicut ita Deus, ut quando a nobis aliquid postulare uidetur, ipse plura et maiora dona nobis offerat. Petit a nobis fidem, obedientiam, patientiam, dilectionem, & si quae aliae sunt huius generis uirtutes. At haec petendo, spiritum suum animis nostris inserit, qui nos excitet, & uasa gratis faciat ex nobis, qui prius ad nullum opus bonum idonei eramus. Hoc ipsum ergo quod petit, nobis largietur Deus, imo plus largitur, dum nostra opera ueri dignatur, et ut ea ueri possit nos per spiritum suum instaurare. Eadem est in externis ratio. Postulat a nobis Dei filius, ut propter ipsum et euangelium eius fortunas omnes uia cum parentibus, liberis, coniugibus, fratribus et sororibus relinquamus. At hoc facientibus remunerationem in hoc seculo decuplam, in futuro autem uitam aeternam pollicetur: et quam bona fide hoc praestet, exempla cum uetera tum noua testantur. Similiter poscit, ut egenos nostris opibus iuueamus: at uicissim promittit, se in suas rationes ascribere uelle, quicquid eius nomine in illos confertur. Et hac quidem est Dei bonitas, qua nostra saluti consultum cupit. Quod si cum illa nos conferas, adeo corruptos et peruersos reperies, ut nec demus Deo quae petit, neque etiam accipiamus quae ille nobis offert, sed nostris cupiditatibus intenti, circa res inuiculas & noxias occupamur. Causam huius mali in praesenti Christus indicat, quod nec Dei donum, nec quis ille sit agnoscimus. Oremus ergo patrem misericordiae, ut huius cognitione uera animos nostros illuminet, ut eius desiderio & amore accensi, nos & nostra omnia ipsi impendamus, & uicissim illius donis instaurati in illo uiuamus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in aeternum. Amen.

Deus a nobis
quid postulat,
ipse plura
offert.

Dicit ei mulier: Domine, neque quo haurias habes, & puteus profundus est: unde ergo habes aquam illam uitam? Num tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis hunc puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, ac pecora eius? Respondit Iesus & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet rursus: Quisquis autem biberit ex aqua quam ego ei dabo, non sitiet in aeternum: sed aqua illa, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in uitam aeternam.

Diligenter admodum describit Ioannes colloquium Iesu Christi cum muliere Samaritana. Diligentia huius causa est, quod in eo uniuersa salus humana & vera fidei doctrina absconditur. Primò enim docet Christus, se eum esse, qui nobis solus ad salutem sufficiat, & proinde in se vno queri debere, quæ nobis ad hanc consequendam necessaria sunt. Deinde verum Dei cultum tradit, & superstitiones prohibet, quæ & illum corrumpunt, & homines à vera salutis ratione abstrahunt. Et primum quidè caput parabola aquæ viuæ illustrat, occasione sumpta ex re præfenti. Cum enim ex itinere fatigatus & sitibundus ab illa potum petiisset, illa verò consuetudine publicam obijceret, quæ ex mutuo & inueterato gentis verusq; odio exorta fuit, respondit ei Christus: Si scires donum illud Dei, & quis sit qui dicit tibi, Da mihi potum, tu petiisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. Quibus verbis totius negotij summam comprehendit, & se eum esse docet, qui nobis à Deo in hinc finem donatus sit, ut gratiam spiritus viuificantem nobis conferat, & proinde ab ipso petenda est, quæcumq; ad restinguendos æstantis conscientie terrores faciunt. Sequitur autem, ut hoc dictum mulier excepit, & sua ruditate occasionem dederit plenius de eo disserendi.

Samaritana
Christi promissum
petulantiter excipit.

Nondum enim intelligit Samaritana, quid sibi velit Christus, & adhuc de aqua fontana agitur, quæ corporis sitim restinguat: ideoq; non ineptè modo, verum metià procaciter nimis illi respondit. Nam etsi dominum vocet pro more gentis, quo peregrinos & sibi ignotos ita appellare solebant, non obscure tamen illum audacis & arrogantis iactantia insinuat, & duobus argumentis vitur. Primum, Neq; habes (inquit) quo haurias, & puteus profundus est: unde ergo habes aquam illam viuam? Sensus est: Video te plus polliceri, quam præstare possis. Nec enim in hoc confinio fons præter hunc alius habetur, & tu ne ex isto quidem haurire potes, cum vasis ad hauriendum necessarius careas: Quæ ergo temeritas est, aquam viuam polliceri? Deinde quia meliorem quoq; aquam promissit, tacito exemplo illum convincere conatur, dicens: Num tu maior es patre nostro Iacob, qui dicit nobis hunc puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius ac pecora eius? Quasi diceret. Cum sanctissimus vir Iacob hæc terras incoleret, aquam hac meliorem & salubriorem reperire non potuit. Tunc ergo aliquid præstantius nobis daret? Deinde hæc aqua Iacobo simul & suis omnibus sufficere potuit: cur ergo eadem non etiam nobis sufficiat? aut quis tu es qui aut ipse meliorem quæras, aut alijs polliceris? Vides ergo verbis Samaritanæ plurimum fellis & amarulentie inesse, quæ oblatam sibi gratiam non modò negligit, verum etiam scurriliter proscindit? Quod maior elucet Christi bonitas, quæ illius petulantiam perculit, & illam sua mansuetudine ad meliorem mentem reduxit, & qua hodie etiam in multis vitur.

Ingenij humani
tarditas &
diuturnitas.

At nunc obseruanda venit, quanta sit nostri ingenij tarditas in percipiendis regni Dei mysterijs. Si enim illa nobis nuda proponantur, illa non magis intueri possumus, quam Solem, qui splendore suo oculorum aciem retundit & obscurat. Quod si nostra infirmitati sese Deus accommodat, & rerum terrestrium similibus nos in illorum cognitionem subuehere studet: tum externis inherendo & literam vrgendo, aut videmus ea quæ dicuntur, aut nimis superstitiose in terrenis hisce salutis fiduciâ collocamus. Prioris mali exemplum Samaritana ista nobis exhibet, & simile quid supra in Nicodemò habuimus. Sed & hodie multi reperiuntur, qui Christi doctrinam propter rude & parabolis & vulgo petitis vestitum dicendi genus fastidiosè contemunt, aut ex ea iocos & scurriles facetias conantur, quibus lingua suæ petulantiam inter sui similes exerceant. Ad alterum verò lapidem offerunt, qui signis externis ea tribuunt, quæ in vno Christo debebant queri. Fecerunt hoc olim Iudæi, quorum inanem & perniciosam in ceremonias & sacra externa fiduciâ propheta passim accusant. Et hodie idem faciunt, qui de symbolis perinde contendunt, ac si ab illis pendat uniuersa salutis humana ratio. Ad eò difficile est, sese ad doctrinam veritatis accommodare, ut non in alterutram partem peccet: & vel hoc argumento eorum arrogantia confutatur, qui sui ingenij viribus aut optum suorum meritis hæc aliquid tribuunt.

Impedimenta
salutis.

Sed ut Samaritanæ verba altiori sensu excutiamus, adumbrantur in illis præcipua impedimenta, quæ nos in salutis negotio remorari solent. Primò cum irrisione exprobrauit Christo Iudæorum consuetudinem, quæ illi Samaritanorum commercia deuitabant, & propter hanc illi potum negat. At multos hoc serio impedit, quod propter peccata sua & incurabile natura sue corruptionem sibi nihil cum Deo commercij esse posse arbitrantur, & Christo quoq; omne officium negant, eò quod hæc

hec illius maiestati & gloria minus respondere vident. Et hi quidem sollicitè suam indignitatē cum Dei iustitia & maiestate conferunt, & quia in hoc carnis affectū sequuntur, aut in desperationis fontem incidit, ut cum Caino dicant: Maior est iniquitas mea, quam ut remitti queat: aut dum sibi apud Deum Mediatore & advocato opus esse vident, relicto Iesu Christo, qui solus hoc officium nobis prestare potest, ad Divos conuertuntur, & in illos transferendo Christi gloriam, huius intercessionis se ipsos spoliunt. Deinde Christi vilitate offenditur Samaritana, & absurdum putat, quod ab eo aquam vivam promitti audit, qui ad fontem sitibundus & fessus sedebat, & hauritū habebat nullum, & qui paulo ante potum ab ipsa petierat. Et quia cum his simul putei profunditatem confert, ex quo sine hauritū aut per finem demissa situla aquam haurire nemo poterat, eò magis in sua illa opinione confirmatur. Idem fit omnibus, qui Christum oculo carnis inveniunt, & illius promissiones ad suæ rationis calculum examinant. Quia enim miserum & inopem vident in hoc seculo, qui ut olim in cruce suffixus fuit, ita hodie adhuc in membris suis persecutionē sustineat, & cuius doctrina à sapientissimis & in summa auctoritate constitutis contemnatur: adduci non possunt, ut illum salutis humane auctorem esse credant. Sed nec fides in Christum illis situla vel hauritū sufficiens esse putatur, per quod salus apprehendi & nobis applicari possit. In qua opinione confirmatur valde, quando regni Dei maiestatem & mysterium eius profunditatem animo voluunt, non autem simul illius misericordiam & consilium æternum expendunt, quo hanc salutis rationem constituit, priusquam hic mundus crearetur. Tertiò Iacobū patriarchā allegat, quasi in hunc peccatura sit, si quid præstantius vel requirat, vel saltem speret, quam ipse habuerit. At hic bifariam peccat: dum & Iacobo patre gloriatur falso, cum quo Samaritanis nihil commune erat: & illius exemplo cetera Christum abutitur, in quo ille omnem salutis spem habuerat collocatam. Ita multos hodie falsa de patris fide & religione opinio impedit, quò minus doctrinæ de Christo Iesu aures præbeat. Noti enim sunt multorum clamores: Patres nostri doctrinam hanc novā ignorauerunt, & tamen viri fuerunt sanctissimi, de quorum salute nequaquam dubitamus. Quòd si ergo illi & Deo servire & salutem consequi potuerunt, quid prohibet quò minus ipsi quoque, seruemur, & nobis etiam sufficiat, quod illis sufficere potuit? Num novi isti doctores patribus nostris meliores sunt? Vel num ecclesiam suam tantū diu errare passus est Deus, donec isti hanc nobis doctrinam afferrent? Sunt hæc plausible admodum, quando coram rudi vulgo declamantur: sed multiplex illis error subest. Aut enim patrum nomine prisca illos & veteres patres intelligunt, quorum fidem & religionem scriptura sacra nobis commendat: aut de suis illis loquuntur, ex quibus ipsi progeniti sunt, & qui proximis seculis vixerunt. Quòd si prisca illos iactant, falsi iam conuicti sunt, & atrocem illis iniuriā faciunt, dum illos sine hac doctrina Deum verè coluisse, & servatos fuisse clamant. Constat enim illos omnes in unum Christum respexisse, quem illis Deus promiserat, & quem hodie prædicamus. At si suos illos patres nobis obijciunt, nos illos perperam facere dicemus, qui in religione patres sibi novos constituunt, quorum fides nullo scripturæ testimonio probatur. Nec enim alij patres imitandi sunt, quam quorū pietatem Deus commendat, & credentium pater Abrahamus dicitur, eò quod huius fidem sectantur, quot quot à Deo in credentium numero censentur. Quæ autem Abrahami fides fuerit, Cap. 8. ipse Christus exponit. Et noti sunt scripturæ loci, in quibus prohibet Deus, ne patrū similes simus, aut in patrū vijs ambulemus, eorum videlicet, qui relicto Dei verbo post hominū traditiones deflexerunt. Nec tamen patres nostros qui sub papatu mortui sunt, simpliciter danamus, sed his quoque, ab aduersarijs nostris iniuriā fieri dicimus. Nam etsi horribiles fuerint tenebræ illæ, in quibus illi oberrarunt, singulari tamen beneficio Deus aliquas veritatis scintillas seruauit, quæ ut lucernulæ obscuriores emittunt illis præluceant: Decalogū nimirum, orationem Dominicā & fidei articulos, qui Symbolo apostolico continentur. Et scimus hunc ferè morè fuisse, ut morituri non alijs precibus vterentur, quàm quarum formā Christus nobis præscripsit, & fidem suā non aliter quàm Symboli illius recitatione profiterentur. Hæc ipsa ergo patrū piorū quoque, fides fuit, quam hodie docemus, quæq; eò maiori studio à nobis retineri debet, quod illā Deus ab Antichristi sordibus purgatam pristino nitore nobis restituit.

Sed Christum audiamus, qui ne nunc quidem illam acerbius tractat, sicuti merebatur, sed se ipsum exponit, ut intelligat, de qua nam aqua ipsi sermo sit: & simul re ipsa docet, se Iacobo esse præstantiorem, cum ea largiatur quæ ille nec sibi ipsi, neque suis dare potuerit. Sic autem ait: Omnis qui hi

Christus Iacobo & omnibus externis longè præstat.

bit ex aqua hac, sicut rursus: Quisquis autē biberit ex aqua illa, quam ego dabo ei, non sitiet in eternum, &c. Sensus est: Video quid obster, quò minus me intelligas. Per aquam viam enim nò aliam intelligis, quam qua ex vna aliqua & perenni scaturigine promanet; & Iacobi patriarche auctoritati tantum tribuis, vt nihil melius excogitari posse putes, quàm quo ipse vsus est. At longè alia mea mens est, quam si perceperis, mox intelliges, me non sine causa meam illam aquam huic vestre præferre. Nam qualiscunq; sit aqua huius putei, hoc tamen cum alijs còmunè habet, quòd sitim semel quidè restinguit, quò minus autem illa redeat, & ne nouo ardore corpus accendatur, prohibere nullo modo potest. Ego autem aquam eiusmodi promitto, quæ semel hausta, perpetuò recreat hominem, ne postea vnquã sitim noua inflammeretur: imò illa in homine fons perennis efficitur, cuius aque in vitam eternam exiliunt, &c. At quia Christus aqua vocabulo per Metaphoram aut similitudinem vitur, vt spiritus gratiam & eius effectum nobis describat: non minus hoc etiã per tropum accipi debet, quòd de aqua puteali loquitur. Per hanc enim intelligit externa omnia, in quibus homines consolationem aut desideriorum suorum complementum querunt, & cum illis sui spiritus gratiam cõferat, vt huius virtus atq; efficacia ex collatione ista clarius elucescat. Sũt ergo duo hæc membra sigillatim excutienda, vt ad aque illius celestis sitim magis accendamus.

Externa non satisfaciunt conscientie.

Per aquã putealem omnia externa intelligi diximus, quæ homines ex seipsis hauriunt atq; parant, vt suis desiderijs tam in vita hac temporaria, quàm in religione & salutis negotio satisfaciãt. Sunt ea omnia eius naturæ, vt cupiditatibus nostris perpetuò sufficere nò possint, & illas accendant potius quàm restinguant, quòd facile patebit, si præcipua ex illis ordine consideres. Et primò quædam opes inspiciantur, quas vulgò omnes cupiunt, & in ijs felicitatè huius vitæ consistere putant. Bivunt ex illis quotquot auaritia inflammati aurum & argentum sibi accumulunt. At licet ingentes pecuniarum riuus quotidie affluant, nunquam tamen sitis illa restinguitur, sed vt poeta dicit,

Crescit amor numi, quantum ipsa pecunia crescit.

Eadè est honorum ratio, & eorum quos dominandi libido inflammavit. Quò enim altius illi ascendunt, eò magis omnes alios excellere volunt, & tam abest, vt aliquando exatirentur, vt ne orbis quidem totius imperiũ illis sufficiat, sicuti Alexander ille Macedo & huius similes suis exëpulis restantur. Quòd si ad voluptates carnis transeas, idem reperies: & constat nec gule studium assiduis comestationibus, nec ludendi desiderium alea assidua, nec scortandi aut mœchandi libidine vlla spurã licentia exaturari posse. Sed omisistis illis, qui affectu belluino feruntur, eos videamus qui generosiores alijs in scientia & sapientiæ studio felicitatem querunt, & his quoq; idè euenire videbis. Si enim absq; scripturarum cognitione & Dei spiritu in libris suis totã atatem consumant, interdũ quidem aliquid inveniunt, ex quo voluptatem magnã percipiunt, at eadem momentanea est, & mox nouæ dubitationes & quæstiones subeunt, in quibus sese excruciant: & si verum fateri velint, post multorum annorum studia & tot vigilatas noctes, cum Socrate dicunt: Hoc vnum scio, quòd nihil scio. Nec melior est eorum conditio, qui in religione & salutis negotio extra Christum vagantur. Nam etsi multa quotidie fingant, quibus Deum sibi propitium reddere & salutis sue consulere volunt, manent tamè conscientie terrores, qui omnia illis infesta reddunt, & ad nouos cultus instituendos impellunt. Patet hoc in gentibus, quibus nec triginta millia Deorũ sufficere potuerunt, quos ab illis inuicem fuisse, Varro prodidit. Et Iudæi, cum à vero Deo recessissent, nouos Deos quotidie multiplicarunt, & ita testati sunt, se in priorum cultu anime tranquillitatem nondum inuenisse. Quòd ipsum in papatu factum esse, & adhuc fieri, nemo ignorat. Quia enim suorum operum meritis & Diuorum intercessione se seruari putant homines supersticiosi, nihil non faciunt quòd humanis traditionibus edocentur. Et magnifica quidè de ieiunijs suis, ferijs, vigilijs, peregrinationibus ad loca sacra, indulgentijs, Missa & reliquis huius farinae, seu potius surfuris, rebus sibi pollicentur. At quàm parum ista prosint, ipsimet suo exemplo docent, dum aut eadem subinde repetunt, aut noua committuntur, aut post omnia ista votis monasticis sese astringunt, nimirum desperatione adacti, quæ monasticæ vitæ causam esse præcipuã, veteri prouerbio dicitur. Imò si omnia fecerint, morituri iam nouis sacris opus habent, & quidem anniuersarijs, quorũ cum finis nullus indicetur, incerta quoq; sit oportet salutis spes, quam in illis querunt. Verissimè ergo dicitur à Christo, eos rursus sitire, imò semper & perpetuò sitire, qui externis rebus & proprijs operibus sine meritis salutem acquirere conantur.

Desperatio facit Monachum.

Idem

Idem verò quid nos facere cōueniat, docet cū addit: *Quisquis autē biberit ex aqua illa, quam ego ei dabo, non sitiet in æternum, &c.* Aqua nomine viuificantem spiritus gratiam intelligi, supra diximus, cuius ille nobis auctor est, & quā fide recipiunt pii, ut per eam irrigati & recreati uiuant. Sic enim infra Cap. 7. mysteriū hoc exponitur, ubi Christus clamat: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dixit scripturā, flumina aquæ uiuæ fluent ex ventre eius. Vbi per expositionē Euangelista subiicit. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in ipsum. Sensus ergo presentis loci est: Quisquis abiecta omni aliarum rerum fiducia in me crediderit, is mihi per fidem ita unietur & inseretur, ut mei quoque spiritus particeps fiat, qui in illo non uitam modo, sed simul certam salutis fiduciam operabitur, quæ ipsum sitire aut conscientia terroribus cōcuti non patietur, &c. Ita verò se salutis ueræ auctorem esse docet, qui sola fide apprehendi possit, & simul fidei effectus paucis describit. Primus est, quod animarum sitim, id est, conscientia estuantis ardores restinguit, & salutis certos facit. Quia enim ut paulò ante diximus, credentes cum Christo eius quoque spiritum apprehendunt, qui arrhabo salutis est, & in quo clamant, *Abba pater*: de salute sua amplius non possunt dubitare. Nam etsi natura suæ corruptionem sentiant, & peccata sua agnoscant, simulque dissolui cupiant, ut ex corpore mortis liberati cum Christo uiuant: non tamen terroribus conscientia vincuntur, & multò minus desperatione absorbentur. Sciunt enim se Christo in-istos esse, & hunc ipsum factum esse à Deo sapientiam, iustitiam, satisfactionem, sanctificationem, redemptionem, uitam, resurrectionem: adeoque in illo reposita habent quæcumque ad salutem consequendā sunt necessaria. Non sitiant ergo amplius neque ad humanarum traditionum lacunas confugiunt, ut suis siue aliorum meritis seruentur: sed in uno Christo acquiescunt, & nunquam non illud Petri in corde & ore habent: *Domine, ad quem ibimus? tu uerba uitæ æternæ habes.* Sequitur hinc fructus alter, quod nimirum hæc spiritus Christi gratia in ipsorum animis fons sit aqua perpetuò salientis in uitam æternā. Nec enim otiosa est fides, sed fructus profert pulcherrimos: & ut animos certa spiritus consolatione irrigat & recreat, sic erga quosus homines officiosa singulis sua tribuit, ut Cap. 3. est dictum. Finis uerò omnium est uita æterna, quam fidei premium gratuitum esse, passim docent scripturæ. Et facit ad huius loci explicationem quod Paulus ad Rom. 6. scribit: *Nunc liberati à peccato, mancipati autem facti Deo, habetis fructū uestrum in sanctimoniam: finem autem, uitam æternam, &c.* Sunt hæc plena consolationis, usus uerò istorum omnium hic nobis esse debet, ut relictis omnibus mudi & carnis nostræ studijs, ad unum Iesum Christum recurramus, ut illius merito & spiritu recreati, in hoc seculo uitam uiuamus nostrā professione dignam, & cum eodem olim in cælis regnemus, illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum. Amen.*

HOMILIA XXVIII.

Dicit ei mulier: *Domine, da mihi istam aquam, ut non sitiam, neque ueniam huc ad hauriendum.* Dicit ei Iesus: *Vade, uoca uirum tuū, & ueni huc.* Respondit mulier, & dixit ei: *Nō habeo uirū.* Dicit ei Iesus: *Bene dixisti, Nō habeo uirum: Quinque enim uiros habuisti: & nunc quem habes, non est tuus uir: hoc uerè dixisti.* Dicit ei mulier: *Domine, uideo quod propheta es tu.* Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & uos dicitis, quod Hierosolymis est locus ille, ubi oporteat adorare.

Prima huius colloquij parte docet Iesus Christus, se unicum esse fontem gratiæ, qui solus Deum placare & conscientia terrores auferre possit. Id uerò sic docet, ut simul omnibus ijs occurrat, quæ Samaritana in salutis cognitione remorabantur, & quæ nos etiā remorari solent. Primum enim, quia insolens uidebatur, hominem Iudæum à Samaritana aliquid officij petere, & multi similiter metuumt, ne Christus ipsos fastidiat atque aspernetur cū indigniores sint, quàm ut illi officij aliquod prestare possint: ostendit ille, se uniuerso mortalium generi à Deo patre donatum esse, qui absque personarum respectu salutem omnibus ad se uenientibus offerat. Deinde, cū illa uili eius specie offenderetur, & hodie multos offendat, quod Christum uilem & cōemptum esse conspiciantur: nos ad æ-

rerum Dei decretum respicere docet, quo is nobis illum seruatorem constituit. Præterea, cum illa Jacobi patriarchæ exemplum obijceret; magna cum autoritate docet, externa omnia quantum ad salutem suam certos & vere beatos fore, qui ipsum fide amplexi, viuo illo & perenni fonte gratiæ Dei recreentur. Nam quisquis (inquit) ex hac aqua, aut quavis alia quam ipse hausit, bibit, is sitis rursus: At qui biberit ex aqua, quam ego ei dabo, non sitiet in æternum, &c. id est, salutis sue certus fiet, neque præter me quicquam aliud desiderabit. Sequitur hoc loco, ut hoc quoque Christi dictum mulier ista petulantius exceperit, & ut ille eam peccati conuictam coegerit de salute sua serio cogitare, atque veram illius assequenda rationem inquirere.

Samaritana
promissionem
Christi ridet.

Et Samaritana quidem, cum istud audisset, rursus literæ inherens & non sine petulantia dicacitate Christi verba detorqueans, ait: Domine, da mihi istam aquam, ut non sitiam, neque veniam huc ad hauriendum. Quasi diceret: Magnificas quidem promissiones audio, sed ego reipsa præstari velim quod polliceris. Etenim magna me leuare molestia, quæ quotidie ad puteum istum excurrere, aquam haurire & cum labore domum deferre cogor. Et sic dicendo non petit aquam à Christo promissam, sed promissionem eius ridet atque contemnit, ut quæ petere nihil tale præstari posse. Et igitur hoc nouum nostræ tarditatis & improbitatis argumentum. Aperiè enim docuerat Christus, se non de aqua loqui, quæ corpori inferuiat, sed de cælesti aut spiritali, quæ animos mebrinet ad vitam æternam. Adhuc tamen ista profert, & illius promissioni procaciter insultat. Est hæc ingenij humani nequitia, ut quamuis disertè nobiscum agat Deus, externis tamen intenti cælestia negligamus, adeoque iocum lusumque putemus, quæ de illis dicuntur. Præterea aliud veræ salutis impedimentum hic nobis adumbratur, quo vix aliud est efficacius: Quod nimirum carnis studium dediti, promissiones euangelicæ carnaliter intelligimus, & proinde in Christo non alia querimus, quam quæ carni inferuiunt. Ea enim hominum natura est, ut sibi bene esse velint in hoc seculo, & nisi spiritu inuouentur, religione etiam ad hoc suum institutum abuti solent, dum in illa non regnum Dei, sed præsentis vitæ felicitatem querunt. Hinc fit, quod promissiones euangelij in seipsum peruersum detorqueant, & nisi illas cupiditatibus suis sentiant respondere, eas cum risu exhibent. Huius generis est, quod quicquid de pace & gratia Dei per Christum nobis acquisita datur, illi de pace huius mundi intelligunt, neque aliam Dei gratiam agnoscunt, quam quæ in opum abundantia, corporis incolumitate, victorijs, & reliquis huius vitæ commodis sentitur. Vt primum ergo crucem, persecutiones, egestatem, morbos, clades & afflictiones Deus immittit, mox illi se deceptos clamant, & Christi promissiones scurrili dicacitate mendacij accusant. Idem fit, quando fidei iustitia prædicatur, & in Christo ostenditur vniuersa humana salutis ratio. Hoc enim plerique ita intelligunt, ut nec morum disciplina, nec vitæ innocentia opus esse arbitrentur, & proinde sub fidei Christianæ prætextu effrenem peccandi licentiam sequuntur. Imò hoc vnum multos mouet, ut à Papatu discedant, quod laborum & sumptuum pertas, otium & securitatem vel liberiores viuendi rationem querunt. Qui, si apud illos disciplina leges vrgeas, eas aut cum risu exhibent, aut furioforum instar aduersus illas insanunt. Idem fit in reformationibus ecclesiæ. Feruntur multi errores esse abolendos, & minuendam esse hominum ociosorum multitudinē; at videntur quia bonis ecclesiæ insidiantur, de verbi ministris substituendis, de scholis aperiendis, & de pauperum subuentione nihil cogitant, & de his verba facientes in aliud tempus rejciunt. Hi omnes existidid quidem & in manibus superstitionum cisternis haurire desinunt, vident tamen ad Christum non accedunt, ut illius verbo & spiritu irrigati fructus dignos ferant. Nam etsi Euangelij nomine glorientur, nihil tamen proficiunt in pietatis studio, maximorum scandalorum auctores sunt, dum nec Christiana professione dignam vitam viuunt, nec pro Christi nomine quicquam ferre, aut periclitari volunt; sed hoc vnum querunt, ut ecclesiæ opibus ditati, in otio viuant & iugum omnis discipline cum politica tum ecclesiastica excutiant. Itaque Euangelium sibi audiunt in testimonium. Discamus nos Christi promissiones recte expendere, ut in illo cælestia queramus, & vnâ cum gratia nobis in illo exhibitâ nostrum quoque officium consideremus.

Christus Samaritane peccata arguit.

Porro vbi Christus Samaritanæ petulantiam maiorem esse videt, quàm quæ facile possit retineri, omiſſa gratiæ Dei & meriti sui prædicatione, propius illam vrgeret incipit, ut peccati & sceleris conuictam

conuictam & conscientia terroribus consternatam de gratia Dei & salute aeterna seruid cogitare cogat. Iubet ergo, ut virum suum vocet, quasi cum illo aliquid acturus. Respondet illa: Virum non habeo: & hoc responso suam nequitiam & scortandi libidine probe celatam putat. At Christus illam arguens, ait: Bene dixisti, Non habeo virum: Quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir, &c. Ita verò vitam antea actam illi in memoriam reducit, non sine occulta reprehensione, cuius acres aculeos illa intra animum suum mox sensit, ut postea audiemus. Sic enim vult dicere Christus: Itane mihi respondas ò infelix? & quia hominum oculos hucusque fefellisti, Deum similiter falli posse arbitraris? Et que illa est proteruita, qua Dei gratiam negligis, me huius auctoritatem contemnis, & doctrinam eius perulenter profindis? Vis autem dicam quod res est. Vitam hactenus vixisti infamem, & cum quinque viros antea habueris, nondum tamen exaturata est libido tua, sed in super se ipsum tibi accessuisti, quo cum supra commercium habebas. Et talis cum sis, atque libidine nefaria Dei oculos offendere non desinas, adhuc tamen quasi re bene gesta, salutis doctrinam perulenter contemnis, & laudem in eo quæris, quòd te salutis auctorem iocis & dicerijs tuis meretricijs lacesere audeas. Respice ergo, & oblatam tibi in me gratiam amplectere, nisi eternum perire libeat, &c. Quo loco admonemur, quomodo agendum sit cum ijs, qui in peccatis suis ita induruerunt, ut omnem salutis propriae curam deposuerint. Arguantur illorum scelera libere & acriter, ut intra animos suos conuicti, & in Dei sensu territi salutis desiderium concipiant, deque Deo placando incipiant cogitare. Ut enim medicum aut medicinam non admittit, qui vel morbi sui vim ignorat, vel aegrotus haberi non vult: Ita de animarum salute seruid cogitare non possunt, qui peccatorum suorum atrocitatem ignorant. Eoq; grauius hic periculum subest, quòd peccata a nobis blandiri solent, & ipsi nobis inter illa felicitatem perpetuam pollicemur. Adhuc, quamuis nos prater officium multa facere sciamus, & peccatorum nos coram hominibus pudeat, ideoque illa diligenter calemus, intra animos tamen nostros non compungimur, neque Dei iram sentimus, que nos ad penitentiam excitet, nisi liberior illorum redargutio accedat: cuius rei exemplum euidentissimum in Dauide habetur. Ideò & legem olim dedit Deus, qua non scelera modo crassiora, sed latentem quoque naturam nostram corruptionem arguat: & spiritus sancti idem officium esse Christus infra docebit, & proinde Euangelij predicationem à penitentiae doctrina exoriri iubet. Nihil ergo prater officium faciunt ecclesiarum ministri, qui peccata publice accusant. Imò cum ea sit nostri seculi infelicitas, ut illa vix pauci agnoscant, nulla arguendi & corripiendi libertas nimia esse poterit: modò hunc finem sibi propositum habeant ministri, ut peccantes in viam reducant, & salutis illorum consulant, non odiose diffament.

Observabimus prater ea, quòd cum multa alia in muliere hac accusare potuerit Christus, scortationis tamen potissimum voluit meminisse, qua plerisq; risu potius, vel etiam laude, quam reprehensione digna esse videtur. Scimus enim quid de illa gentes olim iudicauerint, & quanta vbique fuerit scortandi licentia, cum de Dijs quoque suis illam publice predicari audirent. Et inter Christianos hodie reperuntur, qui publica auctoritate eam defendendam esse censent, & lupanaria instituunt, in quibus iuuenes deposito & prostituto pudore ad libidinem exerceantur. Taceo nunc sacrificulos concubinariorum & scortatores, & omnia ea, qua in Monachorum & Monialium claustris sub religionis pretextu impudenter fiunt. At Christus hanc scortationis conuincens, eam mortis & aeternae damnationis ream esse ostendit, & eo argumento ad salutis seruid studium excitat. Idem passim scriptura docet. Cum enim lex dicit: Ne sit scortum in Israel: non obscure docet, nullum in populo Dei locum esse scortatoribus. Quòd Paulus respiciens, eosdem à regno Dei excludit, & scortationem inter Christianos ne nominari quidem debere ait. Et exempla sunt tam vetera quam recentia, qua Deum seuerum huius sceleris vindicem esse docent, ut homines illud pro nihilo ducant. Sunt ergo haec diligenter consideranda, quò minus nostri seculi licentia seducamur. Et excitet nos, quòd vel ex hoc exemplo apparet, Christum nihil eorum latere, qua à nobis occulte fiunt. Ut enim huius mulieris libidinem vidit, sic idem ille omnia nostra vindice oculo intuetur: quare eius iudicium nunquam poterimus effugere.

Sed Samaritanam nostram videamus, que nunc tandem incipit manus dare, & Christo respondens, ait: Domine, video quòd propheta es tu. Patres nostri in hoc monte adorauerunt. &c. Primo

Cur scortationem potissimum arguat.

Deut. 23.

Peccati conuicta Christum prophetam agnoscit.

prophetam dicendo hoc illum ex diuina reuelatione habere agnoscit, quod occulta ipsius supra intel-
ligat; & simul culpam suam fateatur, seq̄ illius institutioni submittit. Est hoc magnum melioris in-
dolis argumentum, quam hucusque nefariae libidinis foribus obrutam & quasi sepultam, Christus
sua tempestiua correptione in lucem extraxit. Quam multa enim fuerunt, quae illam ad negandum
scelus, aut etiam ad maledicendum excitare poterant? Nō erant testes idonei, quibus conuicti pos-
set. Peregrinus erat Christus, & proinde non dignus, cuius iudicio sese committeret. Imō ex inimica
gente erat, & ideo maiori cum licentia in illum inuasi potuisset, qui ipsius famam contaminare in-
stituat. Sed propriae conscientiae testimonio conuicta, noui vult cum Deo certamen suscipere; quin po-
tius peccatum agnoscit atq̄ fateatur. Idem ergo facit, quod Dauidem fecisse scimus, cum eius adulte-
rium Nathan redarguisset. Habet itaq̄ salutis principium, seriam nimirum peccati agnitionem,
quae salutis desiderium, verbi Dei studium, gratiae illius implorationem, fidem deniq̄ in promissum
redemptorem, Iesum Christum, parere consuevit, qui nobis satisfactio & iustitia à Deo patre fa-
ctus est. Confer autem cum hac nostri seculi homines, qui cum peccati conuincuntur, illud tamen
audacissime negant, Deo & verbo eius improbè contradicunt, ministros turpissime conuiciantur,
& calumniose omnia conquirunt, quae ad horum ignominiam facere existimant. Sunt hi reprobi
mores, quos vitare, huius autem exemplum imitari decet eos, qui seruari cupiunt.

Questio de cul-
tu externo.

Deinde quia prophetam agnoscit Christum, eidem questionem proponit, quae ad rem presentem
pulchrè faciebat. Erat enim publica & vetus controuersia de religione inter Iudeos & Samarita-
nos. Hi enim (vt nuper diximus) cum veri Dei cultu gentilitias superstitiones olim miscuerant. Pa-
stea ex consilio Manassis apostatae templum ad Hierosolymitanam imitationem in monte Garizim
aedificauit, id quod ad fouendam litem & mutua animorum exacerbationem plurimum inuolun-
ti habuit. Et licet Ioannes Hircanus templum illud annis ante natum Christum 127. diruisset, man-
sit tamen apud Samaritanos loci religio, & illic adhuc aras habebant, in quibus publica & solennia
sacra peragebantur, & illic factas preces ob loci sanctitatem Deo magis gratas esse sibiipsis persua-
serant. Cumq̄ Dei verbo destituerentur, superstitiones suas patrum exemplis defendebant, Iacobi
imprimis, quem iuxta Sichem altare fecisse, & ibidem nomen fortis Dei inuocauisse Moses scribit.
Iehosue item, qui illic extructa ara solennes illas benedictiones & maledictiones promulgari cura-
uerat, quae Deut. 27. describuntur. E contra verò Iudei pro suo templo pugnant, & postor tra
illorum causa, quod Dei verbo nitebantur, quàmuis in alijs rebus illud minus obseruarent. Hanc
ergo questionem nunc Christo proponit Samaritana, vt quae edoceri cuperet, vbi nam peccatorum
remissio quari debeat, & quibus sacris Deus placari possit; ne forte dum illi placando studeat, iram
eius magis accendat. Nulturn ergo in Christi schola subito profecit, quae paulo ante ab omni pietate
alienissima fuerat; & suo exemplo docet, de religione nos seruo debere inquirere, neque temere insti-
tuendos esse cultus Dei nouos, neq̄ veteres & à patribus acceptos perimacius defendere debere, nisi
Dei verbo confirmetur. Saepe enim fit, vt patres zelo suo decepti aberrauerint. Interdum quoque
patribus licebat vbiuis locorum aras extruere & sacrificia offerre, eò quod certam sui cultus sedem
Deus nondum constituisset. Posterius autem hoc sine scelere non potuerunt facere, cum Hierosolymam
cultui suo externo Deus destinauisset. Ita olim in religione magnus sacrificiorum, luminarium, ala-
tarium, suffimentorum atq̄ similiarum rerum vsus fuit: quae si nunc reducere velimus, postquam illa
Christus abrogauit, fidem Christianam & religionem omnem turpiter polluemus. Huius ergo mu-
lieris exemplo admoniti, ex prophetis, id est, verbi diuini oraculis petamus diuini cultus regulam,
& bene vtamur à Deo oblati occasionibus. Quoties item Dei verbo conuincimur, non distimule-
mus peccata nostra, sed de Deo placando cogitemus: in quo non errabimus, si verum Iesum Christum
audiamus, qui nobis ab illo verus salutis doctor & auctor datus est. Illi debetur benedictio, honor,
gloria, & potestas in aeternum. Amen.

Gene. 33.
Ios. 8.

HOMILIA XXIX.

Dicit ei Iesus: Mulier, crede mihi, uenit hora, quando neq; in mōte hoc neq; Hierosolymis adorabitis patrē. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus: quia salus ex Iudeis est. Sed uenit hora, et nunc est, quando ueri adoratores adorabunt patrē in spiritu & ueritate. Etenim pater tales quærit qui adorēt ipsum. Deus est spiritus, & eos qui adorant ipsum, in spiritu & ueritate oportet adorare.

ET si Deus hominem ad sui nominis cultū creauerit, & religio (ut recte affirmat Lactantius) propria sit homini, qua sola à reliquis animalibus differt, nusquam tamen et frequentius et turpius quam circa hanc peccatur. Aut enim carnis ingenium secuti, Deū externis rebus coli posse arbitramur, aut cum ab omni religione alieni sumus, illam tamen simulamus, & Deum externo fucosalli posse nobis ipsis persuademus. Et in primo quidem non modò illi peccant, qui Dei uerbo desunt uentur, uerum etiam non raro qui ueram cultus formam & regulam ab illo acceperunt. Maior tamen est illorum audacia, qui non contenti à Deo traditis ritibus, multa ex semetipsis committunt, aut ab alijs confecta recipiunt, & deinde cultum omnem certis locis, temporibus, ritibus, adeoque personis etiam astringunt. Hinc ergo concertationes de religione oriuntur, quæ nullæ essent omnino, si Deum omnes audirent. Est itaque perpetua laude dignum Samaritanæ nostræ exemplum, quæ cum Christum propheticis spiritu instructum esse comperisset, mox illi questionem de religione proponit, quæ inter suæ gentis homines & Iudeos controuerterebatur. Per hanc enim nos spiritus sanctus admonet, unde nobis etiam ueri cultus regula petenda sit. Et ad huius questionem ita Christus responderet, ut paucis comprehendat, quæcunq; ad hanc rem sunt cognitu necessaria. Primo enim docet, ceremonias simul omnes iam nunc oportere abrogari, & proinde nulla posthac de illis concertatione opus esse. Deinde ueram diuini cultus rationem describit.

In priori parte omnes externos ritus, cum Samaritanos tum Iudaicos reijcit, ut qui nec Deo probari, nec ad salutem hominis quicquam conferre possint. Et quia hoc durum nimis uideri poterat, assenatione uentur, qua illam simul attendam reddit. Mulier, crede mihi, uenit hora, quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis patrem. Quasi diceret: Agnoscis me nunc hominem esse nō vulgarem, & ideo prophetam dixisti. Si ergo talē me agnoscis ex animo, audi quid dicam, & dictis meis fidem adhibe. Hactenus quidem recte obseruata est inter Iudeos ratio cultus externi, quam olim Deus per Moysen tradidit: & illam ex parte etiam imitari sunt patres uestri, quando primum in hanc terram uenerunt. Extructum est quoque in hoc monte templum ad Hierosolymitam imitationem, & adhuc apud uos sacrosancta est huius loci religio. Sed aliud nunc tempus instat: tempus nimirum correctionis, quo externa omnia hæc aboleri oportet, ubi reipsa impletum fuerit, quod per illa fuit adumbratum. Fiet ergo ut sublato omni tam locorum quam aliorum rituum discrimine, neque in monte Garizim, neque in Zione aut Hierosolymis adoraturi sitis, &c. Quæ uerba non sic intelligi debent, quasi montes istos Christus omnino damnaret, ut ab eo tempore nefas fuerit illic preces ad Deum fundere: Sed sub adoratione totum Dei cultum comprehendit, qui posthac non illis locis alligari, aut in externis ceremonijs constitui debeat: & ad mulieris questionem responderet, eamq; de loco & externa cultus forma securam esse iubet, modò animum ad pietatem recte instructum afferat. Nec temere factum putabimus, quod horæ mentionem facit, & eandem paulo post diligenter repetit. Docet enim Deo certam esse rationem in dispensandis nostræ salutis mysterijs, & iam olim ab æterno tempore quoq; ad hanc rem presinita esse. Quod Paulus etiam uidit, quando Atheniensibus dicebat, Deum hactenus quidem ignorantia temporis dissimulasse, nunc autem tempus adesse aliud, quo omnes conuerti & respicere conueniat. Scimus item Apostolos aliquando prohibitos fuisse, ne gentibus nonnullis predicarent, quas postea suo tempore Deus Euangelij doctrina illustrauit. Ut uerò in rerum natura quæque suo tempore fiunt atque proueniunt, neque uilla uis hominum obflare potest, quò minus illud fiat: Ita cum olim hora illa uenisset, quando gentes omnes filij sui cognitione Deus illuminare decreuerat, nemo doctrinam illius impedire po-

Cultus externi omnes reijciuntur.

cuit, quo minus in toto orbe vulgaretur, & ad eius promulgationē Iudeorum simul & aliarum gentium sacra corruerent. Durat autem adhuc hodie Dei providentia & immutabilis providentia eius virtus, cuius consideratio multum consolationis habet adversus impiorum conatus, qui lucem Evangelij extinctam volunt. Quia enim Christum dixisse scimus, oportere Evangelium nostris temporibus in omnes gentes predicari, non esse quoddam illorum minus & machinationibus confutemur, qui eius cursum impedire volunt.

Cultus non al-
ligatur certis
locis.

Admonet nos præterea locus hic de novi testamenti prærogativa, quæ est, quod invocatio & cultus Dei non, ut olim, certo loco alligatur, neque in sumptuosis ceremonijs consistit: sed ubique locorum fieri, & illi exhiberi potest. Imò Christus pseudopphetas dicit eos, qui vel ipsum vel ritum eius in penetralibus, in deserto vel alijs in locis certis commonstrant. Et Paulus iubet ad viros quovis in loco manus puras ad Deum tollere. Est ergo intolerabilis & Christiane libertati contrarius error eorum, qui Dei gratiam hodie locis quibusdam ob veterem rerum illic gestarum memoriam, imò interdum simulacris à Deo prohibitis astringunt, & stultis atque superstitiosis hominibus peregrinationum auctores sunt, quibus non raro cum fortunis suis omnibus vicam quoque suam in periculum adducunt. Quam enim illa inutiles sint, & quanto opere Deo improbentur, ipsa docet: quando Hierosolymam, quæ nullus unquam locus in orbe celebrior & sanctior fuit, olim quidem per Romanos solo aquari, & ipsum filij sui sepulchrum ruderibus obrui, & eidem Veneris phanum imponi passus est, & totam illam terram, prophetarum & Apostolorum patriam & ipsius Christi natalibus celebrem, iam seculis aliquot à Turcis conculari patitur. Quanto rectius ergo D. Hieronymus, magnus alioqui & interdum nimius rerum eiusmodi admirator, scripsit: Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est. Omnis itaque superstitiosa hominum sua modo querentium commentis, Dei gratiam exosculemur, qui ubiq; invocari vult, & se ubiq; locorum inveniri patitur ab ijs, qui ipsum ex fide invocant.

Damnatur cul-
tus, qui nõ Dei
verbo nutritur.

At ne Christus hoc dicendo Samaritanorum sacra in eodẽ cum Iudaicis gradu collocasse putaretur, mox docet quantum inter illa discrimen sit. Nam dicit: Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus: quia salus ex Iudæis est. Est hæc bimbembris sententia, cuius prima parte Samaritanorum religionem simpliciter damnat, & eos Deum inutiliter colere & invocare ait. Causam huius dicti interferit. Quia nesciant quid adorent, aut quem colant. At si quis ipsa interrogasset, minimè hoc dicturi erant, quin potius veri Dei, creatoris omnium, & qui Moysi olim locutus fuit, cultores se esse clamassent. Hoc tamen dicit Christus, eò quod sui cultus nullam haberent rationem certam ex verbo Dei, sed illum ex suo cerebro instituerant. Nam, ut nuper quoque dictum est, maiores ipsorum Deum finxerant, cuius potentia & imperium terra illius finibus concluderetur, & qui in illa modo sese ratione nova & insensata colerent: & idem ex Assyria remissi fuerunt sacerdotes, qui illos in religione instituerent. Vide 2. Regum 17. Deinde cum sacris Iudaicis gentilitijs quoque ritus permiscebant. Præterea totus illorum cultus cum inobedientia coniunctus erat, cum contra Dei mandatum in monte Garizim templum edificassent, & in eo sacrificia offerrent, quæ non alibi quàm Hierosolymis offerri debebant. Erant ergo illis omnia incerta, neque Deum verum colebant, sed phantasma potius, quod ipsi animo suo, aut potius imaginatione conceperant. Ipsi autem in membro posteriori Iudeos opponit, quos Samaritanis in religione multum præstare docet. Nam nos (inquit) adoramus quod scimus, id est, cultus nostri certam rationem habemus, eò quod ab ipso Deo nobis traditus est, qui cum patribus salutis fædus æternum sancivit, cuius sigilla sunt istæ ceremonie, quibus in cultu nostro vivimus. Ita enim intelligo particulam illam: Quia salus ex Iudæis est. Nam dicitur hoc non modo propter Christum, unicum salutis auctorem, qui ex ipsis secundum carnem natus est: sed etiam propter rationem salutis, quam soli Iudeorum genti Deus olim manifestavit, & cuius cognitio ab illis initio facta in totum orbem divulgari debuit, iuxta illud prophetæ: Ex Zion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem. Est autem hic locus insignis admodum, quo docemur, religionem absque vera Dei cognitione consistere non posse. Quam diu enim ista destituimur, non verum Deum, sed nostri cerebri figmentum colimus. At Dei cognitio non aliunde quam ex verbo eius petitur. Illud ergo audiant oportet, quicumq; veri Dei cultores haberi &

esse volunt; & conuincuntur hic erroris, quicumq; cultus arbitrariorum instituitur, & sui animi intentionem putant sufficere.

Simul autem non officiantur praeferri debet hoc loco, quod Christus sese cum Iudaeis coniungit, quoad cultum Dei & adorationem. Dicit enim: Nos adoramus quod scimus. Quod iuxta humanam naturam ab illo dici certum est. Nam ut homo orauit, qui ut patri coaeternus Dei filius ab angelis & electis omnibus adoratur. Sed ut diximus, obseruatum dignissimum est, quod Iudaeis sese communitat, de illorum cultu & religione differens. Scimus enim in illo populo tunc horribile doctrina simul & externi cultus prophanationem fuisse, quando sacerdotum ambitio atq; auaritia nouas traditiones & sacrorum nundinationem inuenerat. Sed illis in cultu socium sese coniungit Christus, qui in fide sinceri, ad Legem Dei respiciebant, & ab illo iraditos ritus sancte seruabant, quales illo tempore aliquos fuisse constat. Cum illis ergo Deum patrem verè adorauit, cum illis Circumcisione rectè usus est, cum illis infans adhuc Deo iuxta legem fisci voluit, cum illis ad festa accessit & caeteribus sacris interfuit, qui ex Dei praescripto habebantur: neq; propter abusus quosdam & maiorè impiorū aut superstitiosorum turbam ab externa & legitima sacrorum communione abstinuit. Debeant exemplum hoc obseruare Anabaptista, qui ut primum aliquid vitij in ecclesia conspiciantur, mox secessionē faciunt: sed pollui & eiusdem cum reliquis damnationis reos fieri putant, si illorum sacramentis communicent. Nam ergo Christum pollutum fuisse dicemus, quando ipsam sacris usus est cum Iudaeorum gente, in qua pleriq; aut superstitiosi hypocritae, aut palam scelerati erant? Minimè. Nec enim vitiorum, sed sacrorum communio est in ecclesia, quae si à nobis ritè peragantur iuxta Christi institutionem, aliorum improbitas nobis fructu esse non poterit. Sed quo spiritu isti agantur, ex eo patet, quod cum à prophanorum hominum cōmercijs non abstineant in ijs, quae ad questū faciunt, sed cum illis absq; omni metu negotientur, comessentur, pasuis publicis vtantur, ciuitatum & tribuum priuilegijs fruantur, ex solis caeteribus sacris pollutionem merentur, in quibus Dei verbum praedicatur, preces fiunt, & sacramentorum usus ex Christi precepto retinetur.

Christus Iudaeis
Dei cultoribus
se se coniunge-
rat.

Porro transeamus ad alterā huius loci partem, qua veri cultus rationem Christus tradit. Nec enim sufficit errores arguisse, nisi quid è contra fieri oporteat, indicetur. Repetit autem quod paulò ante de hora dixit, vt ostendat iam nunc tempus esse, vt voluntati Dei sese accomodet, neq; pertinacius insistat maiorum suorum placitis. Dicit enim: Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Distinguit hoc dicto veros adoratores à falsis, vt admoceat, non sufficere si Deum vtantur, vel vt nobis videtur, adoremus atq; colamus: sed in hoc versari salutis cardinem, vt illud verè fiat, & sicuti Deus ipse mandauit. Duobus autem capitibus totum Dei cultum comprehendit, quem adoratione denotari antea diximus: Spiritu nimirum & Veritate. Opponuntur haec externis ceremonijs, quas Apostolus carnè vocat, & in Lege praescribi ait, cuius mandatum carnale sit. Heb. 7. Et Galatas eo nomine reprehendens, quod à libertate Christiana ad Legis ceremonias descenderent, inter alia scribit: Ad eò amentes estis, cum spiritu inceperitis, nunc carne perficimini? Gal. 3. Quò etiam pertinet, quod in eadem epistola Cap. 4. illas infirma & egena munda elementa dicit: nimirum quod Deus mundum initio per has, ceu prima literarum elementa erudire & ad perfectiorem Christi & salutis cognitionem subuehere voluerit. Adhuc typi & vmbrae dicuntur, eo quod rerum futurarum & caelestium mysteria adumbrarent. Vt ergo intelligamus, quid sibi velit Christus hoc loco, videndū erit, quae mysteria sub ceremoniarū inuolucris fuerint adumbrata. Exordiamur autem à Circumcisione, quae cum in membro genitili fieret, docebat nos in peccatis conceptos & natos, & proinde natura pollutos, purgatione opus habere, qua cum imata nobis corruptione illius quoq; fructus tollantur. Erant deinde sacrificia quotidiana, matutina nimirum & vespertina, quibus peccatorū expiatio significabatur: & cum eadem quotidie repeterentur, non obscure ad sacrificium quoddam perfectius remittebant, quod semel immolatum ad expiandum peccata nostra sufficeret. Accedebat his sacrificia extraordinaria, quae alij propter admissa scelera, alij pro gratiarum actione offerebant. Adducebatur ab illis pecus aliquod ad aram, imponebatur illi manus (quod cōmunionis simul & cōsecrationis symbolum fuit) inde mactabatur, & mactari sanguis spargebatur ad altaris cornua. Erat hoc triste spectaculum, quod cum peccati confessione supplicij quoque comminationem & futurae expiationis promissionem continebat. Eadem fuit ratio festorum

Vera cultus di-
uini ratio.

k 4

& rhymanatis, omnium deniq; aliorum, quæ ex legis præscripto fiebant: quòd nimirum per se ad salutem nihil conferebant, illius verò mysteria adumbrabant, & in fidei contemplationem animos excitabant. Caro igitur erat hæc omnia, quando nuda & sine Christo considerabatur, neq; aliud quam ymbra & typos salutis in Christo exhibenda continebant. Et licet pij aliquid altioris mysterij subesse scirent, & in promissum salutis humane aut horem respicerent, cultus tamen illorum carnalibus exercitijs & ymbrijs siue typijs constabat. Sensus ergo verborum Christi est, fore, vt abrogatis externis omnibus, in Dei cultu hoc vnum obseruetur, quod olim adumbratū fuit, & vt pij non in obedientijs hysce sacris, sed in præstandis veræ fidei & pietatis officijs occupentur: quæ vt totum hominem requirunt, ita simulationem & hypocrisim omnem excludunt. Itaq; Dei cultus in fidei obedientia consistit, quæ carnis affectus omnes mortificat, Deo nos sistit viuente hostiam, & Christi merito quæstram peccatorum remissionem amplectitur, ad hæc ad supremi numinis inuocationem, ad vitæ innocentiam & ad omnia alia pietatis officia nos excitat. Hanc ergo mulieri huic Christus commendat, & hanc vnam prophetæ & apostoli vrgent, qui simul Deum frustra externis coli docent, si altiora ista omittamus. At si ista cultus veri ratio est, corruat oportet Papatu, qui totus ceremonijs consistat, quarū aliæ ex Iudeis, aliæ ex gentibus desumptæ, aliæ item ab hominibus ineptè supersticiosi excogitatae sunt; omnium verò hic vsus & finis est, quòd spiritualem Dei cultum impediunt, & carnem ymbraeq; reducunt, à quarum obseruatione iam olim Christi beneficio liberati sumus.

Ceterum rationibus quoq; suam doctrinam Christus confirmat. Prima est: Etenim pater talis querit, qui adorent ipsum. Conuenit hæc cum sensu cõmuni, quem (vt Augustinus scribit) Socrates secutus, vnumquens, Deorum sic colendum esse dicebat, sicuti ipse præcepit. Itaq; cõmuni sensu cõfutantur, qui ex semetipsis cultus nouos instituunt. At ne Deus temere quicquã mandare putetur, alteram quoq; rationem ab eius natura petitam subiicit; cuius hic sensus est: Vt Deo gratias sit cultus, illi conformem hunc esse oportet. At Deus est spiritus, id est incorporeus, qui externis minime indiget, nec quicquam cum illis habet commune. Ergo in spiritu & veritate illum colere debent, qui cumq; ei placere volunt. Est ratio hæc tam manifesta, vt explicatione ampliori haudquam opus habeat. Illud tamen obseruabis, spiritus nomine nõ excludi aut reijci externa fidei & pietatis exercitia, quæ à Christo cõmendatur, qualia sunt, Verbi auditio, Sacramentorum vsus, charitatis Christianæ officia, publicæ preces & quæcunq; sunt alia huius generis. Nam etsi hæc per se corporalia & externa sint, at tamen spiritualia censentur, & reuera sunt, si ex fide emanent & secundum verbi Dei præscriptum instituatur. Hæc ergo huius doctrinæ nobis summa esto, vt in religione suspectum habeamus quicquid carnem sapit, aut huic arridet, reformari autem spiritu & in vnum Dei verbum intenti, illum colamus toto corde, & ex fide vera inuocemus per nomen Iesu Christi: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

H O M I L I A X X X .

Dicit ei mulier: Scio quòd Messias ueniet, qui dicitur Christus: cum uenerit ille, annuntiabit nobis omnia. Dicit ei Iesus: Ego sum, qui loquor tibi. Et hæc illo dicente, uenerunt discipuli eius, & mirati sunt, quòd eum muliere loqueretur: nemo tamẽ dixit: Quid queris? aut quid loqueris cum ea? Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in ciuitatem, & dicit hominibus: Venite, uidete hominẽ, qui dixit mihi omnia quæ feci: Numquid iste est Christus ille? Exierunt ergo ex urbe, & uenerunt ad eum.

TRadidit hucusq; Iesus Christus, quæcunq; ad nostræ salutis rationem & verum Dei cultu pertinent, & ea omnia duobus omnino capitibus comprehendit: Primò enim in se vno ostendit fontem gratiæ, qui tranquillitatem animi parit, & salutis certos reddit. Deinde veri cultus rationem non in externis ceremonijs consistere docuit, sed in obedientia fidei, qua nos totos Deo consecramus, & mortificatis affectibus carnis innocenter viuimus, spemq; salutis omnẽ in ipsius merito habemus. collo-

collocatam. Et haec fides atq; religio est omnium vetustissima, in qua olim patres salutem sperauerunt, & quae sublati ceremonijs & typis legalibus per euangelij praedicationem in toto orbe est divulgata. Sequitur nunc colloquij istius finis, & quantum in muliere haec instituenda Christus profecerit. Continet autem locus iste luculentum de Iesu Christo, promisso redemptore, testimonium, & docet quid eos facere conueniat, qui fidem in eum proficentur.

Rursum verò mulier Samaritana inducitur, quae cum paulò ante intellexisset Christum prope se esse, nunc verò eundem de noua religionis mutatione & eiusdem propagatione per totum orbem differere audiisset, de Messia cogitare incipit, & proinde ait: Scio quòd Messias veniet, qui dicitur Christus; cum venerit ille, annuntiabit nobis omnia. Exponitur locus hic fere bifariam. Aliquis enim adducit tergiversatam esse putant, & haec dicendo disputationem abrumpere voluisse. Quasi dicere, Mirifica sunt quae ex te audio, & quia captum meum longè superat, ea nec probare, nec improbare possum. Solatur tamen, quòd Messiam venturum scio, qui plenè & perfectè eradet omnia, quae ad Dei cultum & ad generis humani salutem faciunt. Hunc igitur expectabo, & omnis interea disputationibus sublimioribus à patribus acceptum cultum sanctè euebor. Alij iam nunc in eius animo susceptionem de Iesu obortam fuisse arbitrantur, num ipse promissus ille seruator sit, & ideo ista dixisse, ut verum ex ipso eliceret. Et horum sententia cum istis, quae sequuntur, melius cõuenit. Nam audita Christi responsione, mox cedit, & in urbem festinans alios quoq; in illius cognitionem adducere studet, quod non ita facillè factura erat, si adhuc tergiversari voluisset. Interim apparet promissi redemptoris aduentum non modò inter Iudaeos, verum etiam apud gentes vulgatum fuisse. Quia enim hunc parentibus primis Deus promiserat, nõ dubium est, quin illi hanc salutis spem posteris suis omnibus diligenter comendauerint, & eandem in omnium ore fuisse multis argumentis probari posset. Et tenim cum Abrahamo salutis foedus sanciens Deus, non nouam illius rationem tradidit, sed benedicti illius seminis promissionem repetit, & quasi de re nota loquens, illud ex ipsius stirpe nasciturum pollicetur. Et lobus, licet alienigena esset, in promisso tamen redemptore spem salutis collocabat, & illum iam tunc viuere fatebatur. Sed & Balaami vaticiniũ apud Orientales populos, & Sibyllarum oracula in toto pene orbe celebrata fuerunt, quae & Christi & omnium quae ille fecit & passus est, descriptio nem continent. Et si nihil horũ excussisset, certè res ipsa homines cordatos & non negligentes suae salutatione caecam, naturam nostrae vires corruptas, & voluntatem ad malum procliuem esse, & insuper toti humano generi maledictionem & mortem imminere videbant: simul cogitare poterant, aliquo omnino opus esse, qui veritatis cognitione mentes nostras illustreret, peccatum expiet, naturae vires instaureret, & benedictione reducat mortisq; imperium frangat. Quae cum proprie sacerdotis & Regis officia sint, factum est, ut redemptor ille in scripturis Messias, id est vnctus diceretur, eò quòd antiquitus reges & sacerdotes solenni vnctione consecrari solebant. Inter Samaritanos tamè huius species certior & luculentior esse potuit, cum illi Moysi libros haberent, qui promissiones patribus factas diligenter describit, & insuper Prophetam illum magnum pollicetur, quem omnes audire debeant. Non temere ergo dicit mulier ista: Scio quòd Messias veniet, & cum venerit ille, annuntiabit nobis omnia. Et haec dicendo, non obscure fatetur, legis doctrinam ad salutem non sufficere, sed in promisso illo redemptore quaeri debere, quaecumq; ad humanae salutis & diuini cultus veram rationem faciunt. Quod principium si hodie tenerent, qui ecclesiae antistites haberi volunt, iam in promptu esset ratio, qua dissensiones de religione componi possent. At vel vno hoc argumento multorum improbitas proditur. Fatetur Samaritana Christum omnia religionis & salutis mysteria fideliter annuntiatum esse. Hoc ipsum se fecisse, Christus testatur, dicens: Quaecumq; audiui à patre meo, manifestavi vobis. Sed & apostolos fideliter tradidisse constat, quae à Christo acceperunt. Adhuc tamè reperiuntur, qui fidei doctrinam in dubium vocant, & scripturis omnia contineri negant, quae ad cultum Dei & salutem sunt necessaria. Quod dici non potest, nisi aut Christum mendacij, aut apostolos mala fidei insimulemus. Et si verò vtrumq; impium & intolerabile auribus Christianis: & qui ita sentiunt, à Samaritana haec olim iudicabuntur, & impie suae temeritatis graues penas dabunt.

Samaritana in
Messiam re-
spicit.

Christus se Mes-
siam esse profeso-
tetur.

m per se ad sa-
em animos ex
q; aliud quam
mysterij sub-
m carnalibus
abrogatis ex
ij non in obe-
que vt totum
us in fidei obe-
Christi me-
tionem, ad tri-
Christus com-
coli docent, si-
ritus ceremo-
inepre super-
in impedi-
ti sumus.
m pater talis
bit) Socrates
senti sensu con-
are putatur,
atus su cul-
e debent, qui
aquam opus
etatis exer-
itatis Chri-
poralis &
ndum verbi
e suspectum
Dei verba
debetur be-
am
lo-
unt,
uid
ita
nia
ue
i cultu per-
endis fon-
rationem
secramus,
o habemus
colle-

illi presentem offert. Quasi diceret. Non est quod Messiam & salutis vel doctorum vel auctorem alium expectes. Ego enim is sum, qui tibi coram loquor. Quin ergo abs me iam tibi eradiat salutem ac veri cultus ratione amplectere, & nihil tibi deerit, &c. Elucet in his verbis admiranda Christi bonitas, qui mulieri alienae à repub. Israelis & propter libidinem infami, sese tam amicè manifestat. Nobis autem illius usus esse debet, ne de eius facilitate dubitemus, cum passim ad se omnes inuenerit, & neminem ad se venientem unquam excluserit, ut alibi fusius est dictum. Querunt autem nonnulli, cur Samaritane sese manifestarit, cum alibi discipulos prohibuerit in viam Samaritanorum abire? Sed potest responderi, non semper herum iisdem legibus teneri quae seruis praescribuntur. Deinde quia nondum aduenerat tempus vocationis gentium, non decebat apostolos alios, quam Iudaeos praedicare. Interim nihil obstabat, quò minus Deus singulari privilegio aliquos ex gentibus vocaret, & ita mox futurae illarum vocationi generali praeluderet, & Iudaica gentis repudiū adumbraret. Nos potius ordinem Christi obseruemus, qui quasi per ambages quaedam mulierem hanc circumdaxisse videtur, priusquam se Messiam & salutis auctore esse doceret. Cuius rei causa est, quòd nimis mysteriū hoc percipere non poterat. Primò enim salutis suae nimium secuta, libidini suae indulgebatur. Deinde si qui conscientiae stimuli oboriebantur, religionem à patribus acceptam peccatis experientis sufficere putabat. Oportebat ergo peccata eius redargui, ut ita ardentius salutis desiderium in illa accenderetur. Nec minus necesse erat superstitionū fiduciam retundi, ut ad fontem gratiae in Christo exhibite accederet, quae prius ad fœditas idolomania lacunas desiderabat. Et hoc ordine non minus hodie opus est. Nisi enim & peccata nostra probè agnoscamus, & superstitiones sciamus ad salutem inutiles esse, Christum Iesum magnificare non poterimus. Feramus ergo patienter eos, qui Christi exemplum & præceptum secuti, eodem ordine salutis doctrinam nobis hodie proponunt.

Discipuli mirantur Christum cum muliere colloqui.

Porro hæc dicens Christo, & in hoc ipso momento discipuli interueniunt, quos ad cibos emendos prius dimiserat. Hi rursus Dei providentia nobis obseruanda venit, quae omnia gubernat, ea etiam, quae fortuita videntur. Per hanc enim fit, ut nò citius illi veniant, quam ubi se mulieri Christus manifestauit, qui totius colloquij finis & scopus fuit. Mirantur autè quòd cum muliere colloqueretur, quae & Samaritana erat, & fortassis priorem vitæ suae conditionem habitu suo (ut fere fieri solet) non obscure referebat. Nemo tamen facti huius ratione ab eo exigite audacius, reuerentia tantum absterri, quae illum prosequerentur. Elucet autem in illis carnis ingenium, quae in aliorum indignitate notanda, quam in propria consideranda oculatior esse solet. Mirantur isti (ut diximus) Christum cum muliere ignobili amicè & familiariter colloqui. Interim non mirantur eiusdem bonitatem, quae ipsos in suam familiaritatè admiserat, homines pauperulos, illiteratos, affectibus variis obnoxios, & Samaritana ista non multo præstantiores. Ita nobis saepe indigni videntur, quibus beneficiat Deus, qui si nobiscum conferantur, nos illorum similes, aut etiam inferiores illis esse deprehendimus. Oriuntur ex hoc carnis iudicio emulationes, inuidia, odium, murmur denig, aduersus Deum: imò superstitiosus quorundam hominum contemptus, qualis apud monachos nonnullos cernitur, qui ut reliquis sanctiores esse putentur, mulierum colloquia in uniuersum fugiunt, imò scopis quoque expurgant vias, per quas illae ingressae sunt: adhuc legitimam viri cum uxore sua conuersationem tæce opera carnis numerant. Qui omnes, si Christi exemplum respicerent, nec coniugij sanctum vinculum damnarent, nec honesta mulierum honestarum colloquia subterfugerent, sed potius illas ad Christum adducere studerent. Interim laudem meretur discipulorum modestia, qui etsi huius facti rationem nondum intelligant, suum tamen præceptorem ita reuerentur, ut nihil dicant audacius, neq. ab illo sui facti rationem requirant. Decet hoc omnes, quos aliorum imperio subiectos esse voluit Deus, ne vel liberi in parentum facta temere inquirent, vel subditi magistratus consilia audacius carpant, vel audaces de ministrorum doctrina & moribus odiosius pronuncient, & Dei rellum affectibus suis prauis prætexant. Cum primis autem in ijs, quae ad Deum spectant, hoc obseruari conuenit, ne illius iudicia ad nostram rationis calculum reuocantes, illis temere obmurmuremus. Saepè enim fit, ut rei euentus ostendat non iustum modò, verum etiam nobis salutare fuisse, quòd initio nobis iniustum & iniquum, adhuc perniciosum esse videbatur.

Samaritana fidem suam effudit declarat.

Sed ad mulierem redeamus, quae mox relicta hydria in urbem festinat, & illius habitatores ad Christum videntem excitat. Non ergo inefficax in illa fuit Dei verbum, & qui verbis cum ea egisset

hucusq; simul animum quog, eius aperuit, vt ipsum vera fide amplecti posset. Et hoc illa restatur, dum fidem suam effectus pulcherrimis declarat. Primò enim relinquit hydriam ad fontem, quasi oblitam cuius rei gratia eò exierit. Est hoc studij ardentis indicium, & quòd suis noua regni celestis priorum corporis sitim omnino refinxerat. Est hoc proprium electis. Quia enim solis celestibus intenti sunt, externa omnia facile negligunt, dum illa assequantur. Deinde in urbem cõtendit, vt saluti inuentæ socios faciat conciuos omnes. Vbi partim charitatis officium facit, quam à fide nunquã abesse scriptura docet: partim penitentiæ vera argumentum præbet, dum salutem cum illis cõmunicare cupit, quibus sua petulantia peccandi occasionem dederat. Adhæc ira Christum commendat, vt nec sue famæ & exultationi parcat, vt illius nomen illustretur. Nã venite (inquit) videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunq; feci. Quod quid aliud erat, quàm illius loci hominibus scortationes suas & adulteria in memoriam reuocare, & peccatum publicè fateri? Addit hinc: Numquid iste est? Christus ille? nimirum, quem humani generis redemptorem fore Moses prædixit? Atqui de hoc ipsa quidem minime dubitabat, sed sue conditionis memor prudenter & modestè loquitur, ne audacius quid affirmando causam totam suspectam reddat. Vult ergo vt reipsa discant, hunc Messiam esse, quod mox intellecturos sciebat, si illi semel cor àm viderent atq; audirent. Obseruemus hic conuersionem planè stupendam, cuius non alia causa adduci potest, quàm Dei bonitas & gratia, qui ex peccatrice & adultera salutis præconem facere dignatus est. Exiant similia exempla in Mattheo, Petro abnegatore, Paulo & infinitis alijs, quæ in eũ vsum obseruari debent, ne in peccatis desperemus, sed ab illis ad Deum conuertamur, qui in Christo penitentiam & remissionem peccatorum nobis offert. Simul verò docet nos huius mulieris exemplum, quid eos facere conueniat, qui Christum Iesum fide non fucata apprehenderunt. Primùm relicta hydria fidei officia obire incipiant. Est autem hydria typus carnis nostræ, quam ex terra factam esse scriptura docet, & omnium eorum, quæ ad huius vitæ sustentationem vel iucunda vel necessaria nobis videntur. Abnegatione ergo nostri ipsius & mortificatione carnis opus est, quæ sit, vt in celestia intenti reliqua omnia facile relinquamus, si ea nobis ad salutem æternam contendentibus sentiamus obstaculo esse. Deinde aliorum quog; saluti pro sua virili consulant, & exemplo suo in viam reuocent omnes, quibus aliquando scandalum præbuerunt. Iubet hoc charitatis lex, & idem Dei gloria postulat, quæ nõ alia re magis illustrari potest. Neq; pudeat eos sua probra prædicare, dummodo Dei iustitiam & bonitatem commendent, & alijs veræ penitentiæ authores sint. Fecit hoc olim David in Psalmis suis, & Paulus frequenter sue aduersus ecclesiam truculentia meminit, vt Christi virtus clarius imorescat. Sed ò infelices & miseris, qui etsi per euangelium ad regni Dei confortium vocentur, & Christi nomine superbiant, hydrias tamen suas, id est carnem cum suis desiderijs non relinquunt, sed suam simul atq; aliorum salutem facile negligunt, scandala indies plura atq; nocentiora quibus suis obijciunt, neq; vlla gloriæ Dei cura tanguntur. Regnat hoc genus hominum hodie, & proinde nõ mirum videri debet, quòd vndiq; Dei ira mundo impio & incurabili imminet.

Restat vt nunciij effectum videamus, quod Samaritana hæc suis Sicheimitis attulit. Paucis hinc exponit Ioannes, dicens: Exierunt ex urbe & venerunt ad Iesum. Fuit hæc admirabilis facilitas & magnum studij salutis publicæ simul & priuatæ argumentum. Nam si mulieris pristinam conditionem spectemus, omnia concurrunt, quæ illius prædicationem poterant suspectam facere. At quia illam sua peccata ingenue confitentem & de Messia loquentem audiunt, cogitant tam subitæ conuersionis causas graues esse oportere, & proinde vocantem sequuntur, quod illis feliciter admodum cessisse postea audiemus. Erat hoc præludium vocationis gentium, quo simul arguebatur Iudeorum pertinacia, qui Messiam ex sua gente natum, & iam doctrina atq; miraculis illustrem recipere non luerunt: cum Samaritanos meretricis oratio ad hunc querendum excitare potuerit. Imitemur nos istorum exemplum, neq; negligamus quas Deus nobis offert salutis occasiones, vt vt carni leuis & videri videantur. Nec enim æternus splendor in salutis negotio quæri debet, cuius author est Christus, quem in terris hisce serui formam gessisse, & hominum contemptissimum fuisse scimus. Et solet Deus in hac causa medijs obscuris et nullius pretij vti, vt bonitatis & gratiæ ipsius abundantia clarior illucescat. Agnoscamus ergo Iesum Christum esse promissum illum humani generis redemptorem, & relicta terrenis omnibus ipsum fide vera complectamur, vt illius merito redempti cum eo

Officia conuersionis.

Sicheimitæ ad Christum exiunt.

dem in celis viuamus atque regnemus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in eternum, Amen.

H O M I L I A XXXI.

Interim rogabant eum discipuli, dicentes: Rabbi, comede. Ipse autem dixit eis: Ego cibum habeo quo uescar, quem uos nescitis. Dicebant ergo inter se discipuli: Num quis attulit ei quod ederet? Dicit eis Iesus: Meus cibus est, ut faciam uoluntatem eius qui misit me, & perficiam opus eius. Nonne uos dicitis, Adhuc quatuor menses sunt, et messis aderit: Ecce dico uobis, attollite oculos uestros et spectate regiones nam alba iam sunt ad messem. Porro qui metit, mercedem accipit, et cogit fructum in uitam eternam: ut & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit. In hoc enim dictum illud uerum est: Alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego misi uos ad metendum, in quo uos non laborastis: alij laborauerunt, & uos in labores eorum introistis.

Adiuimus Domini nostri Iesu Christi cum Samaritana colloquitur. Exhibuit in eo Christus singulare bonitatis sua exemplum, quando infame mulierem non modo ex peccati laqueo et interitu eripuit, uerum etiam illius opera in alijs seruandis usus est. At quia simul alius quiddam docere uoluit, nimirum iam instare tempus, quando ecclesiam ex omnibus populis colligi, & genus quoque ad salutis promissae societatem adduci oporteat: commodè interea dum mulier in urbem reuertitur, ea de re cum discipulis sermonè instituit, qui negotij istius ministri uel executores esse debent. Quod colloquitur est priori breuius sit multò, tamen non minori diligentia à nobis considerari debet, quia primò Christi ardens studium commendat, quo ille salutem nostram querit: deinde ministrum uel officij admonet, adeoque omnes homines de euangelij doctrina & prædicatione indicare docet.

Christus undique captat occasionem occasiones.

Occasionem dicendi sumit Christus à cibo, quem discipuli attulerant, sicuti paulò ante à potu occasione sumpta cum muliere de salutis causa disputauerat. Apparet in eo ardens & ad quamuis occasionem intentus animus, ne quid eorum prætermittat, quæ ad suorum institutionem facere poterant. Et simul admonemur, quam facilis explicatu sit nostra salutis ratio, cum ex re quauis peccati possint similia et parabola, quibus ea illustretur. Quod enim hoc cap. in cibo et potu fieri uideamus, hoc ipsum alibi facit in semente & agricultura, in re pastoricia, in piscatura, in coniugio & nuptijs, in mercatura: demum, nihil ferè in quotidiano hominum usu reperitur, quod ad nostram institutionem spiritus sanctus non accommodet. Quod unum illorum ineptias abunde confutat, qui in ecclesia imagines & picturas prostare uolunt, ut ex illis, ceu libris suis, fidei & salutis mysteria discant, qui literarum plebes rudes sunt. Sed quia de his alibi diximus, nunc ad presentis loci tractationem accedemus. Animum enim eum esse scirent, nunc uerò cogitationibus ita immersum uiderent, ut cibum allatum & appositum quasi negligenter, illum ut comedit hortantur. Est hoc amoris indicium, & quòd eius ualentiæ consilium uolunt, quo affectu nos erga omnes præditos esse cõuenit, qui uel nobis priuatum præsentem, uel publicam multorum salutem suo studio prouebunt atque tuentur: quo in numero fideles ecclesiarum ministri & pij magistratus imprimis censi debent. Porro respondet discipulis Christus: Ego cibum habeo, quo uescar, quem uos nescitis. Id est, aliud nunc agendum instat, cuius uos nunc estis ignari, quod tamen adeò necessarium est, ut de illo potius quàm de cibo sumendo cogitare debeam. Et quia hoc dictum illi non intelligebat, adeoque mirabantur, unde nam cibum aliud habuisset, mox rem ipsam clarius exponit: Cibus meus est, ut faciam uoluntatem eius, qui misit me, & perficiam opus eius. Ergo cibum suum uocat id, in quo tunc occupatus erat, & quod unum ita in animo suo versabat, ut nec cibi & potus, nec ullius præterea rei aliquam rationem haberet. Quo sensu Germani quoque ad hunc cibum & saturitatem esse dicunt illud, in quod unum intentus est, & in quo omnem oblationem & uoluptatem querit.

Quid verò illud est, in quo vno Christus occupabatur? *Ve faciam voluntatem eius qui misit me, & opus eius perficiam, id est, ut patris voluntati me totum accommodem, & hoc fideliter atque magno cum fructu exequar, quod per me confectum vult.* Hic ergo videndum erit, quæ nam illa patris voluntas sit. Explicat hanc Paulus, quando ad Timotheum scribens, ait: *Deus vult omnes, id est, quosuis, vel cuiuscunque generis & conditionis homines seruari, & ad agnitionem veritatis venire.* Et ipse Christus infra Cap. 6. eandem clarius exponens, dicit: *E cælo descendi, ut faciam non voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Hæc est autem voluntas eius qui misit me, Patris, ut quicquid mihi dederit, non perdam ex eo, sed suscitem illud in nouissimo illo die. Item: Hæc est autem voluntas eius, qui misit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, &c. Et Isa. 42. ipse pater filium alloquens, sic ait: *Ego Dominus vocavi te in iustitia, & apprehendam manum tuam, custodiam te, & dabo te in factus populi, in lucem gentibus: Ut aperias oculos eorum, ut educas e carcere vincitos, de domo carceris sedentes in tenebris.* Item Isa. 49. *Leue sit, quod seruus meus sis ad erigendas tribus Iacob, & ad reducendas vastitates Israel: nisi te dederò, ut lux sis gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Dei ergo voluntas, & opus Dei hoc fuit, ut Christus Iesus homo factus miserum genus mortalium ex diaboli tyrannide afferat, salutifera veritatis luce illuminet, & regnum Dei passim in toto orbe terrarum instauraret. Huius autem executioni filium destinavit, quia illud nec Moses nec propheta olim præstare potuerunt, & nemo hominum illud in semetipso præstare potest. De hoc igitur se sollicitum esse ait, imò hoc sibi summo oblectamento esse, & proinde non posse se nunc ulli alij rei vacare, cum illius perficiendi occasio sese offerat. Est autem multa consideratione dignum ardens hoc studium Christi, quo se in prouehenda salute nostra flagrare testatur. Verè enim ab illo hoc dici, res ipsa docet. Nam ut hic sessus & anhelans, à cibo tamen abstinet, ne quam homines seruandi occasionem amittat: ita alibi quoque illum vel inter edendum docuisse & miracula fecisse, vel non sine valetudinis periculo cibum neglexisse legimus. Vide Luc. 7. 11. 14. Marci 3. Sed & aliquando, cum totum diem in populo insinuando & curandis ægrotis consumpsisset, sub vesperam non de suo corpore reficiendo cogitat, sed auditores potius miraculose cibant, ne qui in via deficiant. Nemo igitur de eius bonitate desperet, aut se ab illo contemni vel negligi arbitretur. Manet enim idem ille affectus in Christo, & per Euangelium adhuc hodie suam gratiam omnibus offert. Nec in quoquam nostrum tam ardens esse potest salutis desiderium, quin illud Christi fames & sitis longè superet, qua nos seruare & in nobis Dei regnum instaurare cupit.

At simul nostri nos officij admonet Christi exemplum, ut ipsi quoque simili studio in Dei voluntatem intenti simus, & vocationem nostram omnibus ijs præferamus, quæ ad corporis nostri curam, sue commodum priuatum spectant. Docet sic ipse, quando Matth. 6. ait: *Quarite primò regnum Dei & iustitiam eius, & reliqua omnia vobis adijcientur.* Est enim regnum Dei querere, illius voluntati sese accommodare, & postpositis omnibus alijs studijs illi sese subijcere, ut ipse in nobis imperium obtineat, & nos olim cælestis regni gaudij fruamur. Hoc nobis cum primis cura esse debet. Nam etsi corpus curare & familia prospicere liceat, adeoque illud facere iubeamur, finis tamen istorum esse debet, ut ad Dei gloriam viuamus, & illi obsequium præstemus. Si qua ergo inter priuata hæc negotia occasio sese offert, qua Dei opus perfici potest, mox omisit illis, in hoc vnum nos intentos esse conuenit. Ita Christi exemplum Apostoli imitari sunt, qui ne pauperum quidem ecclesie mensas curare voluerunt, ne à cælestis cibi dispensatione abstraherentur. Et eosdem non piguit totas noctes concionando transigere (ut in Paulo cernitur Acto. 20.) quod plures Christo lucrifacerent. Quid ergo ad hæc respondebunt personari vicarij Christi & Apostolorum successores, qui ut terrena imperia administrare possint, docendi munus procul abs se reijciunt? Quid item concionatores euangelici, qui ut maiori cum voluptate conuiuari possint, concionandi vices in alios, & sepe homines ineptissimos transferunt? Vel etiam populum verbi Dei pabulo destituunt, dum ludicris ipsi studijs intenti sunt, & auaritia vel venationes sectantur? Non esuriunt illi neque suam ipsorum neque aliorum iustitiam, & proinde nunquam verè saturabuntur. At quod ministris dicitur, ad se quoque transferant qui magistratum gerunt, & quos publicæ salutis custodes atque iudices Deus constituit. Idem sibi dictum putent patres familiæ & quicunque iuuentur

instituenta munus sustinent. Denique priuatim singuli cogitent, in tuenda salute sua studio magno opus esse, & inexcusabilem esse nostram culpam, si Christo pro nobis tantam curam excubante, ipsi inertes & ignaui steterimus. Quod si verò huius exemplum nos minus mouet, excitet nos prærens salutis periculum, quando constat nunquam quiescere communem nostrum hostem diabolum, sed rugientis leonis instar omnes nos perdendi occasiones studiose obseruare. Clamabat olim contra ignauios vicia huius temporariae contemptores Satyricus:

Ut iugulent homines, surgunt de nocte latrones,

Ut te ipsum serues, non expergisceris? At quantum rectius hoc in eos quadrat, qui satane insidias vitiis experti, adhuc tamen periculum omne negligunt, imò illi sese circumuerti occasiones præbent?

De euangelio
per orbe diuul-
gando disserit
sub mensis pa-
rabola.

Sed ad Christum redeamus, qui sui dicti rationes subiicit, quibus & se rectè facere docet, & discipulos ad sui exempli imitationem excitat, adeoque in locum cõmunem de Euangelio per totum orbem diuulgando digreditur. Primam à temporis circumstantia & præsentis rerum conditione desummi: & quia ex cibo occasionem de hac causa dicendi sumpserat, non inuenisse mensis parabola inducit, ex qua nobis victus maxima ex parte paratur. Ait enim: Nonne vos dicitis, Adhuc quatuor menses sunt, & messis aderit? Ecce dico vobis, attollite oculos vestros & spectate regiones, nã alba iam sunt ad messem. Atqui de messe agrorum hoc dicere non potuit, à qua (vt ipse faceret) adhuc toto quadrimestri spacio aberant. De spiritali igitur messe loquitur, quã per Euangelij prædicationem perficitur, & quam mensis corporalis pulchrè adumbrat. Vt enim in hac à terra cum suis culmis reserantur ariste, & in aream delata trituantur, triticũ verò in granarijs seruatur, donec inde depromptum in panes formetur & cibus fiat: Ita terreni homines per Euangelij falcem refoffi & abstracti à studijs suis, in Domini aream (quã est ecclesia) adducuntur, & illic cũ quotidiana viti bi prædicatione tum per crucem & afflictiones excussi & purgati à paleis reconduntur in regni caeli horrea, vt Dei cibus fiant, qui hominum salutem esurit, et illa maxime delectatur. Quò Deus Ignatius respexisse videtur, qui (vt de illo Irenæus refert) ad bestias damnatus dicebat: Frumentum Christi sum, & per dentes bestiarum molar, vt mundus panis Dei inueniar. Quoad verò Christi verba, hic eorum sensus est: Quemadmodum maturæ segetes falcem postulant, neque mensis diuitias differri debet, nisi sperati fructus iacturam facere libeat: Ita quando homines salutis desiderio accensì, & quasi maturi ad regni caelestis consortium sese offerunt, adhibenda omnino est falsæ Euangelij, neque conuenit, vt occasionem illam præterlabi sinant ijs, quibus istud negotij Deus commisit. Alioquin & perditionis multorum auctores erunt, & ex illorum manibus perentium sanguis requireretur. Atqui nunc occasio eiusmodi nobis offertur. Attollite enim oculos, & videte quantum ad nos fiat ex vrbe concursus eorum, qui omnes salutis desiderio flagrant, & in horrea regni calorum colligi cupiunt? His ergo lucrificandis nos iam intentos esse conuenit, non de perituro ventris cibo & corporibus nostris resciscendis cogitare, &c. Vtinam verò hac Christi verba seridè expendere Episcopi & Principes, qui hodie toto seridè mundo ad messem illam albicante, falcem tamen non adhibent, imò ne qui alij eam adhibeant, sollicitè cauent, et perire potius volunt sua fidei cõmissos, quam ad veram salutis societatem colligi: neque istius negligentie & tyrannidis aliam rationem habent, quam quòd sua existimationi & quæstui nihil decedere volunt. Dabunt illi graues penas, quando Dominus mensis in magno illo die muneris sui rationem ab illis exiget.

Interim priuatim quoque singuli hic admonentur, ne à Deo sibi oblatas salutis occasiones negligant, quin potius vbi falcem euangelij iam in prociectu esse, & à Deo submissos messores in opere esse conspiciantur, se quoque metendos præbeant, ne in mundi studijs miserè computrescant. Sed negligentiam nostram grauius arguit Christus per Interrogationem, quã hic vtiur. Discipulos enim perstrinxit qui (vt tenuiores fortius homines solent) mensis futuræ tempus anxie obseruabant, securi interitus de messe illa fructuosiori & magis necessaria, quæ iam ob oculos versabatur. At qui vulgò hoc ipsum fit hodie. Computant agricolæ, vinitores, diuites, pauperes, quor mensibus à messe aut vindemia absumimus: norunt nundinas suas opifices & mercatores, ex quibus quæstum sperant, neque illas præterlabi patiuntur: obseruant caeli faciem agricolæ, ventorum & tempestatum signa nant: denique, quàm solertes & industrios plerique sese præbeant in ijs, quæ aut victus, aut lucro, aut etiam voluptati seruiunt. At quorū quisq; est, qui simili industria vel oblatas à Deo salutis occasiones,

vel ita ipsius & pœnarum hoc nouissimo seculo nobis imminentium signa obseruet, & has quidem subterfugere, illis verò vti studeat. Possumus deplorare hanc mundi senescentis ignauiam, corrigere verò poterit solus Deus, qui vti id faciat, assiduè precibus sollicitandus erit.

Sequitur secunda ratio, quam ab vili deducit Christus. Qui meriti (inquit) mercedem accipit. Vt enim messoribus sua merces numeratur: ita suæ etiam messis operarios Deus remunerare solet. Et mox mercedem hanc describens subiicit: Et cogit fructum in vitam æternam. Id verò bisariam fit. Nam & sibi ipsi thesaurum vitæ æternæ colligunt fideles ministri, in quibus gaudium Domini sui olim ingredientur: & simul multos alios Christo adducunt, qui proprius huius messis fructus est, vt paulo ante Ignatii verbis docuimus, qui se Domini frumentum esse dicebat. Addit his: Vt & qui seminatur simul gaudeat, & qui meriti. At seminatores hinc dici patriarchas & prophetas, ex sequentibus intellegimus. Promittit ergo illos eius gaudij consortes fore, in quod iam olim ingressi sint sancti patres & prophetae, qui agrum Domini studiose colendo, veræ pietatis semina in toto orbe sparserunt. Conuenit his promissio, quam Daniel, 12. angelus pronunciat: Doctores splendebunt vt splendor firmamentis: & qui multos ad iustitiam adducunt, vt stelle sempiternis temporibus. Quem verò non excitet tam multiplicis præmij promissio, in quo cum salute nostrâ iam ingressi sint sancti patres & Dei gloria coniuncta est? Hoc certe quisquis negligit, is se non proprie modo salutis negligentem, verum etiam ab humanitatis sensu alienum & impium in Deum esse prodat. At simul obseruabis, Christum mercedis nomine vti, non quod Apostolorum meritis aliquid tribuat, sed vt nostro ingenio sese accommodet, qui promissionibus ducimur, & simul Dei bonitatem commendat, qui quod ipse per nos efficit, præmio tamen gratuito ornare dignatur. Conferendi sunt igitur cum hoc loco alij, qui hunc nodum soluunt. Alibi enim dicit Christus: Sine me nihil potestis facere. Ergo nec quicquam mereri possumus. Et Paulus de ministris ecclesie loquens, ait: Ministri sumus, per quos credidistis, & vt cuique Dominus dedit. Vide locum 1. Corinth. 3. Cui adde quod 2. Corinth. 3. habetur: Non quod idonei simus ex nobis ipsis ad cogitandum quicquam, &c.

Premium promittit fidei ministris.

Hic tertium argumentum addit Christus à facili desumptum, quia alij iam olim laboris huius maiorem partem sustinuerunt atq; superarunt. Quod sic docet: Nam in hoc dictum illud verum est, Alius est qui seminat, & alius est qui meriti. Quod verò inter comminationes legis de pœna impiorum habetur, hic in sensum meliorem detorquet, docens, ipsos fructum percepturos aliorum partu laboribus: sic tamen, vt hoc prioribus illis non fraudi sit, nec illi aliquam inde molestiam percipiant, vt alias fieri solet, quando agricolæ suas messes ab alijs intercepti vident. Quia enim ad eandem ecclesiam tam propheta quam Apostoli pertinent, & eidem patrifamilias verig. seruiunt, nulla sit messis huius translatio ad alienos, sed ad Deum fructus omnis refertur, & proinde prophetis nulla est causa conquerendi, quod laboris sui fructu frustrantur. Sed addit per expositionem: Ego misi vos, id est, destinaui vos mittere ad metendum, in quo vos non laborauistis. Alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis. Id verò de patriarchis & prophetis dicitur, quorum opera et ministerio Deus vsus est mundo excolendo & præparando ad messem hanc euangelicam. Probè autem huic negotio similitudo conuenit. Vt enim sementis laboriosior est messe, & diuturniori molestia agricolæ exercet, dum terram prius purgare, aratro profcindere, glebas confringere, & semente iam facta occas inducere, lolium & steriles auenas euellere, adhuc inter niues, pluuias, pruinas, grandines, & infinita tempestatum pericula laboris sui fructum expectare coguntur. Ita hinc, cum totus mundus superstitionibus, idololatria, portentosis de Deo deq; summo hominis bono opinionibus, adhuc sceleribus & flagitijs nefandis obitus esset: multo labore opus fuit, vt his sublati aliqua purioris cognitionis Dei & pietatis semina in hominum animis plantarentur. Fecerunt hoc patriarche primum, quorum peregrinationes in terra Chanaan, in Ægypto & alijs locis huic negotio mirifice seruiuerunt. Secuti sunt prophetae, quorum sermones longè lateq; per diuersas gentes fuerunt vulgati. Adiuuerunt causam hanc captiuitates & exilia populi, quæ in Assyria, Babylone, et toto Oriente sustinuit. Quis enim dubitet, viros pios tunc multis veræ religionis rudimenta tradidisse, & hominibus cordatis fuisse auibores melius sentiendi de Deo & illius cultu? Ex historijs certe constat, Persas & reliquos Orientis populos ab eo tempore minus habuisse superstitionum, & de Deo rectius sensisse, quod nec templis includi, nec imaginibus effingi possit. Accessit his omnibus, quod post captiuitatē Babylonicam Pro

Argumento à facili excitat Apostolos.

studio magno
ante, ipsi inter
prærens salutem
n, sed regimini
a ignauos vna

ene infidias ra
iones præbent?
re docet, & di
o per totum or
onditione desu
s parabolam
s, Abiue qua
re regionis, nã
se fateretur ad
angelij prædi
terra cum ius
ruatur, donec
saltem refecti
uotidiana ver
in regni cael
r. Quo Deum
at: Frumentu
Christi ver
messis dicitur
s desiderio ac
falsæ. Euan
eius commisit
in sanguis ve
te quantus ad
egni calorum
o ventris cibo
expendent
amen non ad
missos, quam
onem habent,
enas, quando

astiones negli
s in opere esse
d negligentia
nim perfros
ecuri interim
ego hoc ipsum
indemia ad
illas præter
denig, mirã
o, aut etiam
s occasiones,
qui ita

lemens Philadelphus, Aegypti rex, sacros libros in linguâ Gracâ & transferri curavit, & illis in bibliotheca sua omnium totius orbis celeberrima, locum dedit. Quod factum ad propagandam Dei veri & veterum promissionum cognitionem plurimum momenti habuit. Vt vero hac magno cum labore facta sunt: ita omnes illi de suo labore vix quicquam sperare potuerunt, cum spem suam modo publica sua gentis conscleratione, modo nouis superstitionibus, modo bellorum tempestatibus & exilio turbari viderent. Non tamen sua spes quantulacumq; illos sefellit. Nam quae illi iecerunt semina, praeter omnium expectationem mirifice conseruata sunt, & eadem Apostolis plurimum profuerunt, cum illi euangelium in mundo predicarent. Videbant enim Iudaei nihil ab illis offerri, quam quod olim prophetae prädixerant, & ita facilius doctrinam istam admittebant. Imò in gentibus conseruatis prophetarum oracula multum momenti attulerunt. Ista enim occasione Aethyopem eunuclum à Philippo institutum esse Irenaeus annotauit. Et quia illo tempore Iudaei per omnes vrbes & gentes dispersi erant, illisq; primis Apostoli praedicabant, magna haec fuit gentibus occasio veritatem reuestigandi, cum ab Apostolis prophetias adduci audirent, quas Iudaei pro oraculis diuinis agnoscebant, & ex illis ipsis Iudaeorum superstitiones confutari viderent. Bertheesius certe earum rationem Christi cognitionem peruenisse, Lucas in Actis testatur: & lectu dignissima sunt, quae Theodericus Serm. 10. de Praeuidencia de hac re scribit. De his autem discipulos Christus admonet, ne rem factam impossibilem sibi iniungi putent, & ut prophetarum exemplo excitentur, ne opus Domini ignauius agant, cum viam sibi iam stratum esse intelligant. Accommodent hoc argumentum sibi, qui hodie in ecclesijs aliorum studio & labore reformati docent. Succrescit in illis frequenter zizanias, quae vrnenelli posse videntur. At non terreat illos rei difficultas, cum à suis antecessoribus maiora multo feliciter confecta videant. Imò cogitent nulla venia dignam fore ipsorum ignauiam, si ab alijs excerpatis errores atque abusus denuo succrescere & dominari patiantur. Praeterea ut Apostoli non alia messuerunt, quam quae olim prophetae seminarant: Ita hodie non alia à ministris tradi & doceri debent, quam quae prophetarum sementi & messi per omnia conueniant. Nec enim alia semina, quam Domini frumentum ager iste admittit. Hinc ergo constat nec seminatores nec messores fidos esse, qui in ecclesia purgatorium docent, Missae sacrificium praedicant, Diuorum inuocationem tradunt, indulgentias & Bullas Romanas vendunt, vel Dei cultum in luminaribus, sufficijs, nolarum sonitu, cilijs, cucullis, peregrinationibus, alijsq; huius farinae frigidissimis ceremonijs constituunt. Quid enim vnquam horum seminarunt prophetae, aut quid huius generis Apostoli messuerunt? Obseruamus item in hisce Christi verbis consensum veteris & noui testamenti. Si enim non aliud messuerunt Apostoli, quam quod olim seminarant patriarchae & prophetae, constat vnam & eandem religionem & salutis rationem vtroque tradidisse: quod mox videbit, quisquis fidei capita probe inspexerit. In hac ergo doctrina acquiescamus, & quem illi nobis tradiderunt, Iesum Christum verae fide amplectemur, ut in illo panes mundi facti cum eodem in caelis viuamus atq; regnemus, illi debemus benedictio, honor, gloria & potestas in aeternum. Amen.

HOMILIA XXXII.

Ex urbe autem illa multi Samaritanorum in eum crediderunt, propter sermonem mulieris, testantis quod dixisset sibi omnia quae eum fecisset. Cum ergo uenissent ad eum Samaritani, rogauerunt eum ut apud se maneret: & mansit ibi duos dies, & multo plures crediderunt propter sermonem ipsius, & mulieri dicebant: Non amplius propter tuum sermonem credimus: ipsi enim audiuimus & scimus, quod hic est uerè Seruator ille mundi, Christus. Post duos autem dies exijt inde, & abiit in Galilaeam. Ipse enim Iesus testatus fuit, quod Propheta in sua patria honorem non haberet. Cum autem uenisset in Galilaeam, exeperunt eum Galilaei, cum omnia uidissent quae fecerat Hierosolymis in die festo: nam & ipsi uenerant ad diem festum. Venit porrò Iesus iterum in Cana Galilaeae, ubi fecerat ex aqua uinum.

Omissa

OMnes quidem sua bonitatis thesauros, & quaecunque nobis ad salutem necessaria sunt, Deus in filio suo Iesu Christo exhibuit: non tamen in illo salui fiunt quotquot eius nomine & fide in illum gloriantur, nisi suae professioni respondeant. Testatur hoc ipse Matthaei 7. dicens: Non omnis qui dixerit mihi Domine Domine, introibit in regnum meum, sed qui fecerit voluntatem patris mei qui in caelis est. Idcirco scriptura non modò docet quis nam sit Christus, & quid is propter nos fecerit aut passus sit: sed exempla quoque proponit, tam eorum qui illi vera fide amplexi & in eo salutem affectu sunt, quam aliorum qui ipsum reiiciendo aeternae damnationis penas incurrunt: ut ex ijs discamus, quid nos facere, quidve omittere conveniat. Facit hoc quàm maximè presentis loci cõsideratio, qui variisq; generis exempla continet. Principio enim Sichemita producuntur, qui per mulierem evocati, in illum crediderunt, & fidem suam publicè confessi sunt. Deinde Galilei, qui ex signis antea visis occasionem sumpserunt praeclearius de illo sentiendi, & proinde illum ad se venientem honorificè exceperunt. Quibus omnibus medijs interseruntur Nazarethani, Christi concives, à quibus ignominiosè est reiectus. Singula autem haec ex ordine inspicimus, ut plus ex illis ad nos utilitatis redeat.

De Sichemitis in initio in genere dicitur, quod multi eorum crediderunt propter sermonem mulieris, quae à Christo sibi dicta esse testata fuerat, quaecunque fecisset. Vbi credendi verbum non proprie de fide plena & perfecta, sed pro fidei principijs usurpatur, & proinde sensus est, Quod mulieris narratione excitati, Christum Prophetam & veritatis doctorem esse crediderunt: quae causa fuit, quòd ad illum egressi docentem coram audierunt, & in fide maiores fecerunt progressus. Prodest autem singula quae de illis dicuntur excutere, ut intelligamus quo ordine nos etiam in fide progredi oporteat. Primo non aspernati sunt salutis nuntium, quàmvis illud per mulierem sua libidine infamem ad ipsos esset delatum. Est hoc cum primis necessarium, ne veritatis doctrinam propter praecones obscuros & contemptos suspectam habeamus. Solet enim Deus, ut sibi cedat omnis nostra salutis gloria, ministris & instrumentis cõtempribilibus uti, quemadmodum Paulus 1. Corinth. 1. prolixè docet. Neque convenit, ut huius seculi fastum atque splendorem in ijs quaeramus, quae regnum Christi attingunt, quod de hoc mundo esse ipse negat. Deinde ex urbe ad Christum egrediuntur, ut illum audiant, quem mulier tam magnificè commendabat. Est hoc xeli & studij ardentis argumentum: simulque patet, inter Samaritanos iam pridè vulgatas & in omnium ore fuisse promissiones de Messia, & illos ardenti eius desiderio flagravisse. Rectè ergo Christus illos segeti ad messem mature similes esse dixit. Et simili studio ad Christum extra mundum hunc exire eos oportet, qui salutem in illo consequi volunt: ut nimirum omnia, quae in hoc mundo chara & pretiosa habent, spontè relinquant, quòd facilius Christum apprehendere possint. Quem affectu in se fuisse Paulus ad Philip. scribit, & illius facta abundè testantur. Et quàm parum proficiant in salutis negotio, qui eo nõ sunt praediti, ipse Christus docet, quando eos non idoneos esse dicit ad regni sui possessionem, qui à tergo respiciunt, ubi manum aratro admovent: & alibi monet, ut memores simus uxoris Loti, quam à salute sua excidisse Moses scribit, eo quòd è Sodomis digressa, nõ tam corporis quàm animi oculis ad illam respiceret. Tercio, cum nonnulla ex Christi ore audivissent Sichemita, quibus mulieris de illo testimonium confirmabatur, rogant illum, ut apud ipsos manere & in Sychar domicilium sibi cõstituere dignetur. Quo facto ut suum amorem testantur, ita honore summo illum afficiunt, quòd se ipsos simul & suae civitatis ius illi spontè offerunt. Est huc proprius fidei effectus. Quia enim in vno Christo salutem omnem reposità esse novit, huic totum hominem ita vendicat, ut ad eius nutum omnia sua parata habeant, quicquid illi semel apprehenderunt, & nec eius cõtemplatione satiari, neq; ab illo ratione vlla diuelli possint. Quapropter satis apparet à Christi spiritu alienissimos esse omnes eos, qui ut mundi amicitia & fauore frui possint, Christum cum suo Evangelio quàm longissimè à suis finibus relegare solent: & ex eo sibi ipsi pacem pollicentur, si neminem in sua ditione ferant, qui mundo inuisam doctrinam annuntiet. Quarto, qui ex mulieris sermone prima fidei semina conceperant, nunc verè credunt propter ipsius Christi sermonem, quem audiebant. Ergo non à muliere pendente deinceps, cuius ministerio Deus apud illos usus fuerat, sed Dei verbo vivo, adeoq; ipsi Christo fides illorum inicitur, quem verum fidei nostrae fundamentum esse, scriptura passim docent, & in quo vno nobis est acquiescendum. Quoad enim aliud respicimus, non potest non fluctuare fides nostra, quando

Sichemite Christo credunt.

Quo ordine in fide progredi debeamus

extra Deum & verbum eius nihil per omnia absolutum & sibi ipsi perpetuo constans reperitur. Itaque de verbi ministris nos iudicare docet locus iste. Vt ut quidem illorum ministerio Deus, & per illos fidem largitur, ut Paulus ad Corinthios scribit; sed non in illis habere, nec ab eorum auctoritate pendere debemus, quin potius in vno Deum intenti esse, & in Christo Iesu tam fidei quam salutis nostre certitudine quaterere; qui ideo prophetarum & Apostolorum fundamentum dicitur, quod hi omnes in illo vno omnia monstrauerunt, quae ad salutem nobis necessaria sunt. Quare nocuus admodum illorum error est, qui ministros in eum auctoritatis gradum euehunt, ut eos tantum non eximiam ex hominum numero, dum quacumque illi ex suo etiam cerebro proferunt, pro oraculis habent, de quibus vel minimum dubitare nefas sit. Peperit iam olim nimia ista reuerentia tyrannidem in ecclesia, eo quod multi Episcopi facilitate populi ad suam ambitionem, imò ad stabiliendos errores suos turpiter abusi sunt. Et hodie non aliud est, quod dissidia magis foueat & augeat, quam quod plerique ab hominum auctoritate pendunt, nec scripturas propius inspicunt, ut ipsum Christum in illis locutionem audiant. Similis plane est eorum ratio, qui ecclesiam semper in ore habent, illam errare posse negant, imò huius iudicio Dei verbum subijciunt. Nam hi quoque manifestos errores pertinaciter defendunt, qui semel in ecclesiam irrepserunt, licet illos Dei verbo palam aduersari videant. Abiuratur illi Augustini dicto: Euangelio non crederem, nisi me ecclesia moueret auctoritas. Atque illic Augustinus non de fidei sua fundamento, sed illius principio, adeoque prima occasione loquitur, quae inter externa animam eius ad credendum excitauit: Nimirum, quod admirabilem totius ecclesiae per orbem dispersa consensum, martyrum constantiam & piorum mores sanctissimos videret. Dicitur non idem Augustinum audire, qui Samaritanam hanc ecclesiam typum fuisse scribit, & ex hoc loco docet, quo ordine in conuertendis exteris & alienis à fide Deus vtratur: eo nimirum, quod per ecclesiam, id est, ordinarium ecclesiae ministerium illis primò Christum praedicat, mox verò ipse Christi discipulos facit, qui ab illo vno pendunt, & ne angelis quidem diuersum ab illo docentibus credant, sicuti Paulus ad Galatas monuit.

Confessio Sicheuitarum.

Ceterum ad Sicheuitas nostros reuertamur, de quibus hoc etiam dicitur, quod fidem in Christo publice sine confessione, & sic quidem, ut nesciam an similis fidei confessio illo tempore à quoquam sit facta. Ipsos certe discipulos tunc nondum, & usque progressos fuisse constat. Nam etsi Dei filium & Messiam esse agnoscerent, regnum tamen eius fingebant terrenum, & quod angustis Iudaeis finibus concluderetur. Isti verò, Audiuimus (inquiunt) & scimus, quod hic est verè Deuorator ille mundi, Christus. Audiendi & sciendi verbis primò fidei suae originem & fundamentum indicant, Dei verbum nimirum ab ipso Christo praedicatum: deinde eiusdem certitudinem infallibilem testantur. Mox Christum vel vultum agnoscunt, id est, promissum illum regem & sacerdotem, quae patres sancti fide firma & ardentis desiderio expectarunt. Addunt his, quod non vnius gentis modo, sed totius mundi uator sit. Rectius igitur multò quam Iudaei promissionem Abrahamo factam intellexerunt. Denotantur in semine tuo omnes gentes. Neque pudet eos tam magnifice de illo loqui, quae ex multis Iudaearum gente profectum, & absque comitatu splendido aduenisse videbatur. Atqui haec sunt fidei vera excelsa, quae ex modicis principijs enata eo usque progreditur, ut dictis simul et factis, imò tota vita seipsum producat. Nobis verò in istorum consideratione sic versandum est, ut & Dei bonitatem admireremur, qui istos tanta gratia & tam plena veritatis cognitione illuminare dignatus est: & ex illis exemplis petamus, quod imitemur. Vt enim horum exemplo Iudaei damnantur, qui cum plura haberent fidei & salutis adminicula, Christo tamen pertinaciter reluctati sunt: ita simul omnes eos damnabit, qui Iudaeorum similes, Evangelij doctrinam improbe reijciunt. Obseruemus praeterea Christi facilitatem, qua illorum precibus cedit, & toto biduo cum illis manet, quod tempus illis instituentis & confirmandis sufficere sciebat. Et videretur consilio noluisse diuturniorem inter illos moram trahere, ut vel discipulis vel reliquis Iudaeis scandalum praeberet, qui Samaritanorum consuetudinem non minus grauibus causis abominabantur. Imò verisimile est, ex hoc facto hostes eius occasione arrepti, ut Samaritanum dicerent. Nos verò ista Christi facilitas excitet, ut inter nostrorum temporum pericula, quibus ecclesia infestatur, ipsi quoque Christum assiduè precibus sollicitemus, ne à nobis discedat, sed suo verbo & spiritu nos regat, ut maiores quotidie in vera pietate progressus faciamus.

Sequitur

Sequitur Nazarethanorum ingratitude & pertinacia, quam credentium exemplis mediam in
 terponi diximus. At quia hic præter morem suum breuior est Ioannes, locus hic multis obscurior vi-
 detur. Dicit enim: Post duos dies abiit inde, & discessit in Galileam. Ipse enim Iesus testatus fuit,
 quod Prophetæ in sua patria honorem non haberet. Voluit autem Ioannes paucis absoluere, quod ab
 alijs euangelistis prolixius narratum esse sciebat; & ideo breuius modo perstringit historiã, quæ Na-
 zarethi accidit, quæ ex Luca cap. 4. hic inferri debet. Ex Sichem enim digressus Iesus in Galileam,
 recta Nazarethum profectus est, ut gratiam bonam ei urbi referret, in qua educatus fuerat. Itaq;
 in Synagoga illorum concionem de seipso ex Isaia luculentam habuit. Mirantur illi gratiam singu-
 larem dicendi, neq; habent quod contradicant: non tamen credunt eius doctrinã, sed cum fastidioso
 contemptu parentes obscuros & artem manuariam illi exprobrant, quam aliquando inter ipsos ex-
 ercuerat; neq; putant pro Messia eum esse habendum, qui suis cognatis & consanguineis non melius
 prospiciat, sed inopes & cõtempfos viuere patiatur. Corripit illorum peruersum iudicium Christus,
 & exemplis aliquot repudium ipsis denunciat. Illi verò magis exacerbati, recta monentẽ ex rupe
 precipitare volunt, miraculose tamen per medium illorum Iesus transiens, crudelis & nefarias ipso
 rum manus euasit. Ad ista ergo respiciens Ioannes, causam modo reddit, cur Christus in Galileam
 profectus, non potius patriam suam, quàm alias vrbes, doctrinã & miraculis suis illustrauerit, nimi-
 rum quod ingratos deprehendisset, & in se quoq; experiretur, quod vulgo fit, ut familiaritas & con-
 fuerudo propertis inter suos agentibus, fere fidem & autoritatẽ omnem adimat. Nolunt enim ab
 illis disere plerique, quos à pueris nouerunt familiarius, & quoad huius seculi dignitates sibi nullo
 modo conferendos esse sciunt: & ideo peregrinos magis admirantur, de quibus quid nouum & insolẽs
 sibi ipsis promittunt. At nobis hic duo veniunt obseruanda. Primum, ex eo fere ministrorum simul
 & doctrine contemptum enasci, si in solam speciem externam intenti, relucens in ipsis gratia diui-
 na indicia negligamus. Hoc certè Nazarethanis istis imposuit, quod inopes Christi parentes & in
 opere manuario transactam maiorem ætatis partem potius respiciunt, quàm virtutẽ diuinam, quæ
 in eius dictis & factis relucebat. Atqui eò magis illam agnoscere debebant, quod nullo huius seculi
 splendore obscuraretur. Sed hoc fere est carnis nostræ ingenium, cuius rationem audire periculosum
 est in ijs, quæ ad regnum Dei faciunt. Vbi enim hoc semel fieri cõperit, nouis subinde progressibus
 crescit impietas, & tandem in manifestam rabiem exit, sicuti in Nazarethanis istis est videre. Ala-
 terum, quid manifestos Christi hostes & euangelij contemptores maneat. Corripuntur primò acer-
 bius, & minas audiunt qui promissiones audire noluerunt. Deinde aliorum exemplis arguuntur, &
 inexcusabiles fiunt. Postremò discedit ab illis Christus, & secum vna auferit benedictionem Dei, in
 cuius locum maledictio succedit & ira Dei, quæ illos malis assiduis & indies magis crescentibus
 exagitat.

Nazarethano-
rum increduli-
tas & ingra-
titudò.

Ceterum reliquis Nazarethanis, alios Galileos videamus. Nam ex patria sua digressus Chri-
 stus, primò (ut Marci 6. habetur) in diuersis locis Galileæ docuit, deinde Capernaũ descendit, quã
 Domini ciuitatem aliqui dixerunt, eò quod illic hospitium haberet, quò se recipere solebat. De omni-
 bus vero istis dicit Ioannes, quod eum exceperint, cum prius omnia vidissent, quæ Hierosolyma fecer-
 rat in die festo. Et paucis verbis illorum pietatem egregiè cõmendat. Cuius non vulgare indicium
 est, quod cum scribarum & sacerdotum auaritia horribilem sacræ & diuini cultus corruptio-
 nem inuexisset, illi tamen à Deo instituta sacra non negligunt, & ad dies festos religiose ascendunt.
 Deinde cum illic vidissent Christi opera miraculosa, & quod impios nundinatores sacrorum tem-
 plo eiecisset, mox in illo virtutẽ humanam maiorem agnoscunt, & ex eo tempore de illo honorificè sen-
 tire incipiunt, quàmuis illum sacerdotibus inuisum esse, & illorum iudicijs damnari scirent. Nunc
 vero ad se venientẽ amicè excipiunt, & doctrinã eius fidem, quam merebatur, adhibet. Inter alias
 vero ciuitates Galileæ Cana potissimum nominatur, quam miraculo aquæ in vinũ conuersæ Chri-
 stus antea celebrè fecerat, & eandem nunc denuo inuisit, ut quæ illic iecerat fidei semina magis ex-
 colat, & ad suam maturitatem perducatur. Imitati sunt postea Christi exemplum apostoli, quando ec-
 clesias abs se plantatas inuiserunt, vel per literas officij admonuerunt, ne aliquorũ insidijs euertea-
 rentur. Quod ipsum hodie facere debent omnes, quibus ecclesie suæ curam Deus cõmisit. Est autem
 consolations plenum exemplum hoc, quo docemur, nunquã locum deesse Christo vbi recipiatur, licet

Galilei Chri-
stum recipiunt.

pleriq; illum reijciant. Imò plerumq; sit, ut viles & contempti homines eum recipiant, dum à claris & doctrina atq; religionis titulo eximij reijcitur. Neminem ergo mundi huius iudicium offendat, sed istos imitemur, quorum fidem & pietatem spiritus sanctus prædicat. Vidimus nostro seculo multa, quibus diuinã suam virtutẽ Christus cum publicè cum priuatim demonstrauit. Venit idem ille ad nos quotidie, & per verbum suũ sese nobis offert. Excipiamus ergo eum gratis animis, & in illo viuemus tam in hoc quam futuro seculo. Illi debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

H O M I L I A XXXIII.

Erat autem regius quidam, cuius filius ægrotabat in Capernaum. Is cum audisset Iesum ex Iudæa in Galilæam uenisse, abiit ad eum, & rogauit eum ut descenderet & sanaret ipsius filiũ: erat enim moribundus. Dixit ergo illi Iesus: Nisi signa & prodigia uideritis, non credetis. Dicit ad eum regius ille: Domine, descende priusquam moriatur filius meus. Dicit ei Iesus: Vade, filius tuus uiuit. Credidit homo sermone, quem dixerat ei Iesus, & profectus est. Iam autẽ eo descendente, serui illius occurrunt ei, & renunciauerunt dicentes: Filius tuus uiuit. Sciscitatus ergo est horam ex eis, in qua melius habuisset, & dixerunt illi: Heri, hora septima reliquit eum febris. Agnouit ergo pater illã ipsam horam fuisse, qua dixerat illi Iesus, Filius tuus uiuit. Et credidit ipse, ac domus eius tota. Hoc rursus secundum signum edidit Iesus, cum uenisset ex Iudæa in Galilæam.

Vidimus hucusq; ut Dominus noster Iesus Christus aliquot priuatis colloquijs docerit, se promissum illum esse humani generis seruatore. His uerò exempla interposuit Ioannes tam credentium, quam eorum qui illum improbè reiecerunt: ut ex ijs omnes discant quid sibi facto opus sit. At quia multi nudis uerbis se duci non sinunt, sed quod docetur, reipsa & manifestis signis probari uolunt narrationi suæ, uel potius historie euangelicæ, signa quædam illustriora interserit, quibus suam doctrinam Christus, seu sigillis quibusdam confirmauit, & se eum esse palàm ostendit, quem se esse prædicabat. Inter quæ admodum memorabile est, quod modo recitauimus. Docet enim Christus uitæ & mortis imperium esse, & hæc illum pro suo arbitrio dispensare, & proinde uerum esse Messiam, in quo olim promissam salutem nobis Deus exhibuerit. Quod cum paucis potuisset dici, rem gestam cum omnibus circumstantijs diligenter exponit euangelista, ut & uirtus Christi diuina magis eluceat, & nos in fide confirmemur, qua sola beneficiorum Christi omnium confortes fieri possumus. Quare proderit singulas historie totius partes diligentius inspexisse.

Regij filius
ægrotat.

Principio ij producuntur, in quibus signũ hoc fuit edictum. Erat (inquit) regius quidam, cuius filius ægrotabat in Capernaum. Regium dici quidam putarunt, quod regio genere natus esset: sed hoc friuolum est, quando constat nullos tunc in Iudæa fuisse, qui tali dignitate gloriari auderent, nisi quos Romanorum Cesarum fauor euebebat. Verius ergo sentiunt, qui ita dictum putant, quod ex aulicorum Herodis numero esset, uel Capernai munus aliquod publicũ ex eius mandato sustineret. D. Hieronymus in Isaiam Cap. 65. palatinum uocauit. Summa certe auctoritatis & dignitatis uirum fuisse apparet, quocumq; illũ nomine appellaueris. Huius filius ægrotabat, imò iam uicinus erat morti, ut postea dicitur, id quod Christo signi edendi occasionem dedit. At nos ista personarum descriptio admonet, honores & dignitates huius seculi neminem eximere à communi sorte mortalium quo minus morbis, inopia, infamia & omnibus alijs aduersis obnoxius sit, quibus in hac uita cõtempnissimi quicq; exercentur. Quia enim hæc humane naturæ ex primi parentis lapsu adherent, à nomine hominum aliena censeantur. Est hoc probatum omnium secularum exemplis, & quotidie multa fiunt, quæ his fidem faciunt, ut uetera exempla adducere non sit opus. Quam multi enim diuites, imò principes è suo gradu deiectione, ignominiose oberrant & egent? Quam multi inter medicos

opes & omnigena voluptatum instrumenta diris morborum incurabilium cruciatibus exercentur, aut curis indesinentibus conficiuntur, aut horrendis conscientie stimulis excarnificantur? Neq; ista impijs modo accidunt, verum etiam electis & veris Dei cultoribus, sicuti in Davidis, Ezechia palatini huius & multorum similium exemplis videmus, quos euangelica historia proponit. Ergo utcumq; multi opibus, dignitatibus & laetis fortuna ridentis successibus fruuntur, homines tamē sunt, & ideo Dei gratia per Christum nobis exhibita non minus opus habent, quam ij, quos propter egestatem & miseras suas ipsi modo fastidiosè contemunt. Quia tamen ea est multorum stupiditas, ut hoc non obseruent, & interim ut semidei quidam sibi ipsi delicias faciant, dum felicitatem perpetuā sibi pollicentur: scriptura de istis sepe nos admonet, & exempla eiusmodi oculis nostris ingerit: in quorum meditatione nos crebrò atq; diligenter versari decet. Hæc enim opulentos & magnates ad seriū pietatis studium excitat, in quo plerunq; nimis frigidi languent. Eadem charitatem nobis commendat, ut eò faciliores simus & promptiores in subleuandis fratrum calamitatibus, quando nos istis obnoxios esse cogitamus. Facit deniq; ne quem contemnamus propter miseriam suam, quæ in nos quoque cadere potest, si ita Deo videatur.

Obseruemus quoq; quòd signum hoc secundum, quo inter Galileos suam gloriā Christus manifestauit, in tali persona edidit, cum nō desissent infiniti alij, qui & morbis letalibus diseriuiabātur, & simul inopes egebant. Etsi enim alios non contempserit, hunc tamen in præsentem sibi deligit, ut primò quidem miraculum sit illustrius, & proinde plures quoq; in salutis cognitionem inducat: Deinde ut ostendat suum meritum ad principes quoq; & ad eos qui in summa dignitate constituti sunt, pertinere. Est hoc cognitum per quā necessarium. Habent enim illi homines multa, quibus à vera salutarum ratione auocantur, & multa quotidie faciunt præter officium, quibus Dei ira contra ipsos accenditur. Quæ causa est, ut multi temere omnes damnent, qui in aliquo sublimiori dignitatis gradu supra alios eminent: & ipsi quoq; interdum in graues tentationes incidunt, & de salute sua desperant, quando illis in mentem venit, quos modis Deum offenderint, cuius bonitatem & singularè gratiam toties sunt experti. Ne ergo vel ipsi propter conditionem suam desperent, vel hanc alij damnent, ut in qua aliquem saluum fieri impossibile sit: exempla multa scriptura proponunt, tam sanctorū, qui magistratum magna cum laude gesserunt, quales fuerunt Ioseph in Agypto, Moses, Iosue, David, Ezechias, & in nouo Testamento Iosephus Arimatheus: quā eorum, qui cum magistratus officia obirent & à Dei veri cognitione alieni essent, in ea tamen conditione per Dei gratiā illuminati & à superstitionibus conuersi sunt. In quorū numero censi debent Naaman Syrus, Centuriones item euangelici, Paulus Sergius Cypri proconsul, & palatinus hic noster, quem nec honores huius seculi, nec Herodis libidinosi & incesti exemplū remorari potuit, quò minus ad Christū accedat, qui oues suas nouit, & easdem suo tempore vocat, nec aliquem suorū è manibus suis sibi eripi patitur. Hinc ergo tales consolationem petant, simulq; vocanti Deo obtemperent, & huius bonitatē experti, ipsius exemplum imitentur, ne æquo rigidiores sint erga eos, quos ipsorum fidei Deus concedidit.

Ceterum videamus, quid hic fecerit, ut illius exemplo omnes erudiantur, qui huius sunt loci & ordinis. Audiuit Christum ex Iudæa in Galileā rediisse, & haud dubiè ad aures illius peruenierant eius signa, quæ Hierosolyme in die festo ediderat. Ad illum ergo profectus rogat eum, ut secum vsq; Capernaum descendat, & filium iam moribundum valetudini meliori restituat. Inde verò occasione sumpta Christus non tam illius quàm Iudæorum omnium incredulitatem & pertinaciam corripit. Dicit enim: Nisi signa & prodigia videritis, non credetis. Et meritò quidem eos reprehendit, quod in sola signa intenti verbū eius supini negligerent, quod omnibus signis & prodigijs longè debet præferri. Nam etsi Deus verbo suo interdum signa & testimonia externa adhibeat, id tamen ferè circuminitium modo facere solet, quando doctrina noua & inaudita prius ampliorem confirmationē requirit. Sic olim Legem prodigijs & signis confirmari oportuit, euangelij item doctrinam, cum inter gentes predicaretur, quæ prius nihil huius audierant. Vbi verò constat Dei verbum esse quod proponitur, signis minime opus est, & qui illa requirunt, atrocem Deo iniuriam faciunt, dum illius verba testimonijs alijs confirmari cupiunt. Quia ergo Christi doctrina cum Lege & prophetarum oraculis conueniebat, quæ Iudæi spiritu sancto auctore edita esse fatebantur, iure illos succenser Dominus, quòd illa neglecta à nudis signis penderet. At quod his dicitur, nostri quoq; seculi hominibus dicitur,

Cur in illustrata persona signū ediderit Christus?

Regius opem Christi imploret.

dum à clarissimum offendat, pro seculo mulieris, & in illis festas in aeternum.

um, & bunc detia. filius noni, serui t. Sci. at illi: pflam se, ac n ues

curit, se pro nnes tam cti. factio opus sit. signis probari ferit, quibus uidit, quem se enim Christo esse. Melius dicit, rem gediua magis erri possunt.

uidam, cuius esset: sed hoc uiderent, nisi ant, quod ex to sustineret. dignitatis vicinis erat sonarum de e mort alium via cōtemnerent, à ne, & quosdam alijs enim dicitur medias opes

qui à nobis signa petunt, quibus euangelij doctrinam confirmemus. Atqui hanc Christi doctrinam esse constat. Quae ergo impudentia est, Christi verba ab ijs in dubium vocari, qui Christiani dici volunt? Sed ad palatinum hunc nostrum redeamus, qui etsi à Christo corripitur, non tamen ab illo resistit, nec (ut aulici ferè solent) ipsi audacter obloquitur, aut se ab ipso indignis tractari clamat: sed rogando pergit, donec imperet quod postulabat.

Afflictionum
utilitas.

Quo exemplo docemur, quam magna ad electos ex afflictionibus utilitas redire soleat. Nam etsi prius quoque de Christo hic multa audiuisset, & illum in prophetarum numero haberet, non tamen illum accessit, nec doctrinam eius auditorem siue sectatorem sese praebuit: nimirum propriae dignitatis illud bria & Herodis auctoritate impeditus, ne vel hunc offenderet, vel illum prostituere videretur. Et verisimile est, ipsum filio prius remedia omnia adhibuisse, quibus morbum depelli posse sperabat. At ubi nihil profecit, & de filij vita iam desperatum esse videt, nisi Deus singulari beneficio eum restituar: mox deposito omni Herodis metu, nec ulla habita sua existimationis ratione, ad Christum confugit, ab illo consilium & auxilium postulans. Fit hoc frequenter, & in nobis ipsis saepius idem experimur. Nam etsi omnes fateamur ab vno Deo per nomē Iesu Christi petenda esse quaecumque, nobis ad corporis simul & animae salutem necessaria sunt, huius tamen in secundis rebus facile oblitiscimur: imò incidentibus aduersis, ad carnis praesidia ferè confugimus, neque de Dei ope serio cogitamus, donec necessitas ipsa nos ad illum conuertri, & ab illo vno auxilium postulare cogit. Non mirum ergo, si nos in extremas usque angustias Deus detruendi patiat, quando ad illum quaerendum non animi excitari possumus.

Electi etiã suis
uitijs laborant.

At simul videamus, qualem se hic gerat palatinus iste, & patebit in electis tunc quoque infirmitatis fidei & innatae vitiositatis indicia comparere, quando imprimis officij facere videntur. Nam bene quidem facit iste, quod in extremis agente filio ad Christum confugit, de quo iam existimationem bonam conceperat. Idem tamen peccat, quod nunc demum venit, quando in humanis nihil sibi superest, quod corporali eius praesentia opus esse putat, quod illi praescribit, quod ipsum priusquam filius moriatur festinare iubet. His enim omnibus satis testatur, se in Christo nihil adhuc maius agnoscere, quam viri talem prophetiam: non autem talem credere, qui verus sit Dei filius & Deus verus, quique absens etiam absentem curare, imò iam extinctum in vitam reuocare possit. Quanto magis praestantior fuit Centurionis fides, qui Matth. 8. se indignum faceret, sub cuius rectum Christus ingrediatur, neque hoc factu opus esse ait, cum vnicuique etiam verbulo vim morbi à famulo egrotante depellere queat? Quid? quod de sua incredulitate, quae illi cum Iudaeis omnibus communis erat, iste admonitus, non perit, ut sibi ignoscat Christus & fidei ipsius labascenti succurrat, sed de sola filij rudine sollicitus, illum nimis importune vrget, ut secum descendat, priusquam filius morte intercipiatur? Sunt haec eiusmodi, ut excusationem nullam admittant, si pro suo iure nobiscum agat Deus. Quò magis exosculari debemus Christi bonitatem, qui talem non abiecit, nec de salute nostra & Dei gratia desperare, si quid simile in nobis deprehendamus. Horum item memores, non temere damnamus eos, in quibus infirmitas eiusmodi elucet. Potest enim eos confirmare Deus, qui per nos quoque precibus assiduis sollicitari debet, ut & nostram & aliorum hominum fidem adaugeat.

Christus uerbo
suo morbum
depellit.

Sequitur miraculum, quod paucis describitur, ut non in verbis haereamus, sed diuinam Christi virtutem diligenter expendamus. Patri enim ipsum pertinacius vrgenti dicit Christus: Vade, filius tuus uiuit, id est saluus est & incolumis. Nam uiuendi uerbo uirtus phrasi Hebraica, & uirtutis hominis incolumitatem comprehendit. Neque vanam fuisse promissionem, rei euentus declarat. Ea ipsa enim hora (ut serui postea renunciant) subito conualuit, qui iam iam moriturus iacebat. Vbi quid primum miremur fratres? Christi ne bonitatem, qui patris huius ineptias tam patienter tulit? an uerò potentiam, qua absens absentem opem tulit, & moribundum ex mortis faucibus eripuit? Quin potius utrumque simul obseruemus, quando (ut Cyrillus ait) duos eiusdem uerbis curauit: nam & patris animu ad fidem induxit, & à corporis morbo filium liberauit. Sed quid duos dico, cum eam huius palatini familiam hoc facto sibi lucrifecerit, quae numerosam fuisse non est dubium? Ergo fidem quantumuis modicam & infirmam Christus non abiicit. Cur enim hoc faceret, qui laborantes & oneratos ad se venire iubet, & egrotantium medicum se esse profiteretur? Soletur hoc nos in rationibus, nec quisquam desperet, si fidem suam non omnibus numeris absolutam esse sentiat. Nam

(ve verisimè quidam dicunt) non propter fidem, seu opus operatum vel meritum, sed per fidem nobis salus datur. Et licet illa infirma sit, Christum tamen apprehendit, qui nostra est perfectio, & qui nostris vitijis sarcinendis abundè sufficit.

Proderit autem modum obseruare, quo hunc è morte asseruit Dominus. Petis quidem pater, ut Capernaum vsq; secum descendat, & filio medeatur. At non in eo ipsi morem gerit Christus, sed absens occulta suæ diuinitatis virtute illum curat, & hanc solo verbo patri proponit. Est ergo vita & mortis Dominus, & proinde seruator mundi, cui nos tutò possumus fidere. Quid enim illum non facturum putemus, si potentiam suam plenè exerat, cuius verba tam efficacia esse videmus? Neq; nobis dubium aliquod moueat, quòd hodie non vt olim visibiliter & corporaliter nobiscum in terris versatur. Nec enim corporali præsentia eius opus est, cuius virtus per omnia extenditur, & qui suo nura caelum & terram concurret. Et qui in mortali carne terram incolens absq; corporali præsentia vitam quibusuis conferre potuit, multò magis hoc nunc potest, quando ad Dextram Dei patris confidet, & omnem potestatem cum in caelo tum in terris accepit. Nimiùm ergo ridiculos sese præbent, qui hodie de corporali Christi præsentia contendunt, quam minime nobis necessariam esse, exempla multa testantur, & quam ipse negat, quories se ex mundo hoc discessurum esse dicit. Clamant illi nos Christi personam diuiderè, & Dei omnipotentiam negare, quando ex scripturis & humani corporis proprietatibus docemus, Christum quoad corpus in caelis agere, quoad verò diuinitatis virtutem vbiq; esse præsentem. At cur non hoc Ioanni obijciunt, qui palatini huius filium à Christo curatum dicit, quamuis in Capernaum non abiret, sed Cana subsisteret? Vel num Christus suam ipsius personam scidit, quando se Bethanie fuisse negabat, cum illic Lazarus moreretur? Et ò egregios omnipotentie Dei & maiestatis Christi Iesu patronos, qui Dei filium non aliter nobis salutarem esse credunt, nisi carne ex nobis assumpta nobiscum corporaliter versetur.

Christus corpo
re absens ope
ratur.

Regij fides

Electorum
exercitia.

Consutat istorum opinionem regius hic nos ter, qui audita Christi promissione mox credidit, neq; però rogauit, vt secum in Capernaum descenderet: sed eius mandato obtemperans, mox domum properat, ibi diuina virtutis Christi specimen visurus, cuius corporalem præsentiam paulò anto expectauerat. Et sanè diligenter narrat Ioannes, vt beneficium hoc Christi ille apprehenderit, eius nimirum exemplo docet, quid nos facere cõueniat. Primò sermoni Iesu illud credidisse dicit. Quia enim propheticum spiritum in illo agnoscebat, de eius promissione dubitare nõ potuit, quãuis absurda & impossibilis præstium videretur. Deinde occurreribus ei sumulis & filij subitã restitutione narratibus, de illius hora diligenter inquiri, non quidè de rei veritate dubitans, sed vt ex collatione ista in Christi cognitione magis confirmetur. Postremò domũ reuersus credit verè: Christum nimirum non prophetã modò, sed Dei filium & promissum mundi seruatorè esse, ideoq; totus in illius partes cõcedit. Neq; id modò, sed domui suæ toti beneficium hoc Christi cõmendat, & suos omnes in eius cognitionem inducit. Vbi rursus apparet, Christi fide apprehendi, & per hanc nos eius & beneficiorum ipsius omnium confortes fieri, de quo iam sepe diximus. Nunc obseruemus, quæ sint electorũ Dei exercitia, per quæ ad eternæ salutis hereditatè cõtendunt. Primò Dei promissis fidè adhibent, licet multa illis aduersari videant. Quia enim hunc & veracè & omnipotentè esse agnoscunt, nullis remoris illius fidè impediri posse intelligunt, sicuti exemplo Abrahami Paulus docet, Rom. 4. Interim verò promissiones Dei diligenter ruminant, & cum ijs conferunt quacung; ad illarũ confirmationè possunt facere. Pertinet huc verbi studiũ indefinens, exemplorũ veterum consideratio, & sacramentorũ vsus, quæ promissio num suarũ sigilla Deus esse voluit. Præterea Dei cultũ propagare student: quod tunc felicissimè fit, quando non ipsi modò eius bonitatè agnoscunt, sed ipsius prædicatione plures alios in eius cognitionè inducunt. Labet hoc passim Deus, & de eodè nos Petrus admonet, quãdo nos Dei peculiũ factos esse dicit, vt virtutes illius prædicemus, qui nos vocauit ex tenebris in admirabile suã lucem. Agnoscunt hoc qui verè fideles sunt, & ideo omnè prouerbendã gloria Dei occasione diligenter captant, neq; alia re magis quam beneficiorũ eius cõmemoratione & colloquijs eiusmodi delectantur. At in his ferè hodie peccatur. Dei promissiones pleriq; ad suæ rationis calculũ examinant, Verbi studiũ, preces, sacramenta & priorũ colloquia negligunt, adhuc de suis potius rebus quã de Dei cultu sunt solliciti, neq; eos patietèr ferunt, qui suo labore et industria illũ propagare student. Est ergo fides rara in terris, vt planè ea tẽpora agnoscat, quæ nouissimum suum aduentũ præcessura esse Christus olim prædixit. Luc. 18.

si doctrina esse
ni dici volumus
ab illo resilla
clamat: sed ro
deat. Nam est
non tamè illum
ignitatis ille
videretur. Et
se sperabat. At
ficio eum resilla
d Christum con
pius idem expe
cung; nobis ad
obliuiscimur
gitamus, donec
mirum ergo, si
lum non aliter
quog; infirmi
dentur. Nam
in existimatio
anis nihil spi
um priusquam
d huc manus a
filius & Deus
Quandò ipe
tum Christus
egrotante de
erat, iste ad
sola filij vult
morte interie
magat Deus
nostra & Dei
emere dante
ni per nos quog;
t.
uinam Christi
s: Vade, filius
ica, & illorũ
declarant.
curus iacebat.
tam patienter
cibus eripuit
curauit: nam
dico, cum ro
ubium? Ergo
qui laborat
oc nos in res
entiat. Nam
(71

Restat huius narrationis conclusio, quæ talis est: Hoc rursus secundum signum edidit Iesus, cum venisset ex Iudæa in Galilæam. Quibus verbis primò Iudæorum pertinaciam arguit Ioannes, qui ne signis quidem commoti sunt, cum Samaritæ Christi verbis crediderint: Imò cum tam præclaro signo edito, solus regius iste cum domo sua credat, tota Sichemitarum ciuitas nuda prædicatione constructura, Christum seruatorem agnouit. Erat hoc non obscurum præludium repudij Iudæorum & reprobationis gentium: quod alibi quoq; annotauimus. Deinde Christi quoq; bonitas nobis commendatur, qui etsi sciret se non multum proficere apud eam gentem, non destitit tamè docere & signa edere: mirū vt pauculas illas reliquias seruaret, quas ex Iudæis saluas fore propheta prædixerant. Sunt igitur apud Deum electi in magno pretio, neq; eos inter sceleratorum turbam Deus negligit sed vt gemmas ex luto maris fundo in lucem filij sui extrahat. Versemur nos diligenter in horum consideratione, & fidem nostram exerceamus sedulo, vt in ea confirmati cum Christo olim in cælis viuamus: cui debetur benedictio, honor, gloria & potestas in æternum, Amen.

CAPVT V.

HOMILIA XXXIIII.

Post hæc erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam, Est autem Ierosolymis ad Probatam piscina, quæ nominatur Hebraicè Bethesda, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna ægrotantium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aque motum. Angelus enim descendebat certo tempore in piscinam, et turbabat aquam. Itaque qui primus descendisset post turbationem aquæ, sanus fiebat, à quocumq; detineretur morbo. Erat autem quidam illic tricesimum octauum annum agens in infirmitate. Hunc cum uidisset Iesus decumbentem, et cognouisset, quod iam multo tempore laborasset, dicit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei infirmus ille: Domine nullum habeo, qui cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: sed interim dum ego uenio, alius ante me descendit. Dicit ei Iesus: Surge, tolle grabatum tuum & ambula. Et statim sanus factus est homo ille, ac sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo.

POST QUAM Ioannes priuata Iesu Christi colloquia exposuit, quibus primò Nædemum, deinde Samaritanam mulierem in vera salutis cognitione erudiuit: transiit nunc ad eius conciones publicas, quibus disertè omnes docuit, qualem ipsum agnosceri debeant, & quid in illo pater cælestis exhibuerit. Et hoc quidem Cap. disputatio describitur contra Iudæos, quæ demonstrat, se verum esse Dei filium & vitæ auctorem, cui ipse pater vna cum Mose & prophetis testimonium perhibeat. Præmittitur autè huic disputationi signum restituti paralytici, quod modò recitauimus, cuius triplex usus est. Primò disputationi occasionem præbuit, & populum ad illam audiendam attraxit. Itaque in nobis quoque attentionem excitare debet, vt postea Christum de sua deitate differentem maiori studio audiamus. Secundò redemptionis nostræ typum habet, cuius nobis auctor est Christus: & comòdè præmisit hoc, vt reipsa se eum esse doceret, quem postea se esse profiteretur. Id enim ad declinandam arrogantiam suspicionem apud rude vulgus plurimum faciebat. Postremò multiuariam seruit nostræ institutioni. Docet enim fidem in Christum, patientiam in morbis & quouis afflictionum genere, charitatem & reliquias virtutes, quas fides ex sese generare solet. Est ergo historia hæc multis nominibus digna, cuius singulas partes diligenter consideremus.

Orditur à temporis notatione Ioannes, & diem festum Iudæorum fuisse dicit. Hunc pleriq; Persecosten interpretantur, quando iam messe aut facta aut feruente (cuius mentionem fieri audiuimus in prioribus)

Miraculi huius usus.
Christus ad festum redit Ierosolymam.